ANALYSIS

THEOLOGICA

ET SCHOLASTICA IN

CAPUT NONUM EPISTOLÆ

D. PAULI AD ROMANOS,

CERTIS QUIBUSDAM THE-

sibus comprehensa,

&

AD PIAM AC PLACIDAM

Symphilologiam proposita

à

M. JOHANNE SCHRÖDERO,

ECCLESIAE SWINFVRTEN-

sis Pastore:

Respondente

DN. VALENTINO BARGERO

SWINFURTENSE, ET ECCLESIÆ

SWEBHEMIENSIS Pastore.

SWINFVRTI

Typis CASPARIS CHEMLINI.

ANNO M. D CVIII.

THEOLOGICA

ET SCHOLASTICA IN

CAPUT PRIMUM LIBRI LOMBARDI

AD ROGATUM

Symbolum proponit

ET

PRO GRADU LICENTIÆ

ACCELERANDO SUMMISSIS PRÆCIBUS

IN AUDITORIO

DIE MENSIS

H. L. Q. C.

S. J.

Typis CAROLI CHEMLINI.

CUM PRIVILEGIO.

CLARISSIMO ET CONSULTISSIMO VIRO, DN. JACOBO GUILHELMO, U. J. D. ET APUD SWINFURTENSES PRACTICO EXcellentissimo Domino, fautori & amico suo plurimum honorando,

Τὸ χαίρειν ἐν κυρίῳ.

INSIGNEM studijs virum,
Insignem officijs virum,
Insignem meritis virum,
Dum quæro Thesibus novis
Mecænate carentibus:
Mecænas mihi candidus,
Mecænas mihi maximus,
Occurris meritissime
Iuris Mysta, IACOBE, Dux
Legum; justiciæ decus.
Nam tu, quod video, mihi,
Et nostris studijs faves,
Pastorique SWEBHEMIO,
Qui Gymnasma fluentibus

Iucundum eloquijs dabit.
Tu me non levibus tibi
Obstrictum meritis habes;
Quorum cum memini, piget,
Nil res ferre, tibi meum
Ex quo cor pariter probem.
Te mulcente, VALENTIVM
BARGERVM bona spes alit;
Qui te, ceu columen suum,
Quando invisa necessitas
Incumbit, colit optimè.
Cum ex horum mera paucitas
Nunc sit (quod fieri solet)
Qui chartas aliquid putant
Istas esse, sapis supra,
Vulgi segnis inertiam.
Quapropter Thesibus novis,
Mecœnate carentibus,
Te nunc scribo novum auspicem,
Mecœnas mihi candide,
Mecœnas mihi maxime.

M. Johan. Schrôderus.

ANA-

ANALYSIS BREVIS ET PERSPICUA CAPITIS NONI EPISTOLÆ Paulinæ ad Romanos.

THESIS I.

SAPIENTER inquit Augustinus in lib. ad Bonifacium: *Quisquis cum Ecclesia Catholica sapit, non contra gratiam pro meritis disputat, sed misericordiam & judicium cantat, ut nec misericordiam recusset ingratus, nec judicium accusset invitus.*

II.

Ubi Pater ille exponit, quæ sint virtutes præcipuæ, quarum operibus DEUS gloriam suam generi humuno illustrem reddat; nempe, misericordia & justicia. De quibus David Psal. 101: *Misericordiam*, ait, *& judicium cantabo tibi Domine*; & ante illum Moysi, quando gloria Domini coram facie ejus transibat, dictum est: Exod. 34. v. 67. *Dominus Dominus est Deus misericors, & clemens, longanimis, & multæ bonitatis & veritatis &c. visitans iniquitatem patrum in filijs, & in filijs filiorum, usque in tertiam & quartam generationem.*

III.

Etli autem nec fons ille misericordiæ divinæ inexhaustus, nec imperscrutabilis altitudo judiciorum DEI, sub mentis humanæ captum cadant; attamen, quod rursum tradit Augustinus, *satis sit Christiano, ex fide adhuc viventi, & nondum cernenti quod perfectum est, sed ex parte scienti, nosse vel credere, quod neminem Deus liberet, nisi gratuitâ misericordiâ per Dominum nostrum Iesum Christum, & neminem damnet, nisi aequissima veritate, per eundem Dominum nostrum.*

IIII.

Cumque, quod in Enchridio prodidit idem, *altissimo & saluberrimo sacramento universa facies atq; vultus sanctarum scripturarum benè intuentes id admonere videatur, ut, qui gloriatur in Domino glorietur:* vix tamen locus proferetur alius, in quo majori industria de re ista agatur, quàm qui habetur in capite nono Epistolæ Pauli ad Romanos.

V.

Quapropter visum est, Analysi methodicâ & succincta Caput istud retexere, Apostolicas assertiones accuratiùs introspicere, & Pauli sententiam enucleatiùs investigare, ut quid de re tanta sit habendum intelligamus, & cum Psalte Regio Misericordiam & Justiciam Domini decantemus.

Quàm sis longanimis, quàm clemẽs, justus & aequus,
Dantaturos, sancte JEHOVA *juva.*

TEX-

VI.

Antequam verò Analysin, quam meditamur, aggrediamur, operæ pretium videbatur futurum, si ipsum Apostolicum illius Capitis textum, cum è fonte Græco, tum ex interpretatione Erasmi hoc loco recitaremus: Utpote ad quem, ceu secuturæ ἀναλύσεως materiem & fundamentum, post modum subinde fuerit recurrendum. Ilque jam est talis.

VII.

Υ. 1. Αλήθειαν λέγω ἐν Χριστῷ, οὐ ψεύδομαι, συμμαρτυρούσης μοι τῆς συνειδήσεώς μου, ἐν πνεύματι ἁγίῳ.

Veritatem dico in Christo, non mentior, attestante mihi simul conscientia mea per spiritum sanctum.

υ. 2. Ὅτι λύπη μοί ἐστι μεγάλη, καὶ ἀδιάλειπτος ὀδύνη τῇ καρδίᾳ μου.

Quòd dolor mihi sit magnus, & assiduus cruciatus cordi meo.

υ. 3. Ηὐχόμην γὰρ αὐτὸς ἐγὼ ἀνάθεμα εἶναι ἀπὸ τοῦ Χριστοῦ ὑπὲρ τῶν ἀδελφῶν μου τῶν συγγενῶν μου κατὰ σάρκα,

Optarim enim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, cognatis meis secundum carnem,

υ. 4. Οἵτινές εἰσιν Ισραηλῖται, ὧν ἡ υἱοθεσία καὶ ἡ δόξα καὶ αἱ διαθῆκαι καὶ ἡ νομοθεσία, καὶ ἡ λατρεία καὶ αἱ ἐπαγγελίαι.

Qui sunt Israëlitæ: quorum est adoptio, & glo-

ria & teſtamenta & Legis conſtitutio, & cultus, & promiſſiones.

v. 5. Ων οἱ πατέρες, καὶ ἐξ ὧν ὁ Χριστὸς, τὸ κατὰ σάρκα, ὁ ὢν ἐπὶ πάντων θεὸς, εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας, ἀμήν.

Quorum ſunt patres, & ij, ex quibus eſt Chriſtus, quantum attinet ad carnem, qui eſt in omnibus Deus laudandus in ſecula, Amen.

v. 6. Οὐχ οἷον δὲ ὅτι ἐκπέπτωκεν ὁ λόγος τοῦ θεοῦ. οὐ γὰρ πάντες οἱ ἐξ Ἰσραὴλ, οὗτοι Ἰσραήλ.

Non autèm hæc loquor, quòd exciderit ſermo Dei. Non enim omnes, qui ſunt ex Iſrael, ſunt Iſrael.

v. 7. Οὐδ' ὅτι εἰσὶ σπέρμα Ἀβραάμ, πάντες τέκνα. ἀλλ' Ἐν Ἰσαὰκ κληθήσεταί σοι σπέρμα.

Neque quia ſunt ſemen Abrahæ, ſtatim omnes filij: ſed per Iſaac nominabitur tibi ſemen.

v. 8. Τοῦτέστιν, οὐ τὰ τέκνα τῆς σαρκὸς, ταῦτα τέκνα τοῦ θεοῦ, ἀλλὰ τὰ τέκνα τῆς ἐπαγγελίας, λογίζεται εἰς σπέρμα.

Hoc eſt, non qui filij carnis, ij filij DEI, ſed qui ſunt filij promiſſionis, recenſentur in ſemen.

v. 9. Ἐπαγγελίας γὰρ ὁ λόγος οὗτος, κατὰ τὸν καιρὸν τοῦτον ἐλεύσομαι, καὶ ἔσται τῇ Σάρρᾳ υἱός.

Promiſſionis enim ſermo hic eſt, In tempore hoc veniam, & erit Saræ filius.

v. 10. Οὐ μόνον δὲ, ἀλλὰ καὶ Ῥεβέκκα ἐξ ἑνὸς κοίτην ἔχουσα Ἰσαὰκ τοῦ πατρὸς ἡμῶν.

Non ſolum autem hoc: ſed & Rebecca ex uno conceperat Iſaac patre noſtro.

v. 11. Μη-

v. 11. Μήπω γὰρ γεννηθέντων, μηδὲ πραξάντων τι ἀγαθὸν ἢ φαῦλον (ἵνα ἡ κατ' ἐκλογὴν τοῦ θεοῦ πρόθεσις μένῃ) ἐξ

Nondum enim natis pueris cum neq; boni quippiam fecissent, neque mali (ut secundum electionem propositum Dei maneret)

v. 12. Οὐκ ἐξ ἔργων, ἀλλ' ἐκ τοῦ καλοῦντος ἐρρέθη αὐτῇ, Ὅτι ὁ μείζων δουλεύσει τῷ ἐλάσσονι.

Non ex operibus, sed ex vocante dictum est illi: Major servi et minori.

v. 13. Καθὼς γέγραπται, τὸν Ἰακὼβ ἠγάπησα, τὸν δὲ Ἠσαῦ ἐμίσησα.

Sicut scriptum est, Iacob dilexi, Esau verò odio habui.

v. 14. Τί οὖν ἐροῦμεν; μὴ ἀδικία παρὰ τῷ θεῷ; Μὴ γένοιτο.

Quid igitur dicemus? Num injustitia est apud Deum? Absit.

v. 15. Τῷ γὰρ Μωσῇ λέγει, Ἐλεήσω ὃν ἂν ἐλεῶ, καὶ οἰκτειρήσω, ὃν ἂν οἰκτείρω.

Nam Mosi dicit, Miserebor, cujuscunq; misereor, & commiserabor, quemcunq; commiseror.

v. 16. Ἄρα οὖν οὐ τοῦ θέλοντος, οὐδὲ τοῦ τρέχοντος, ἀλλὰ τοῦ ἐλεῶντος θεοῦ.

Itaq; non volentis est, neq; currentis, sed miserentis Dei.

v. 17. Λέγει γὰρ ἡ γραφὴ τῷ Φαραὼ, Ὅτι εἰς αὐτὸ τοῦτο ἐξήγειρά σε, ὅπως ἐνδείξωμαι ἐν σοὶ τὴν δύναμίν μου, καὶ ὅπως διαγγελῇ τὸ ὄνομά μου ἐν πάσῃ τῇ γῇ.

Dicit enim Scriptura Pharaoni, In hoc ipsum te

excitavi, ut ostendam in te potentiam meam, & ut annuncietur nomen meum in tota terra.

v. 18. Ἄρα οὖν ὃν θέλει, ἐλεεῖ: ὃν δὲ θέλει, σκληρύνει.

Itaq; cui vult, miseretur: quem autem vult, indurat.

v. 19. Ἐρεῖς οὖν μοι, τί ἔτι μέμφεται; τῷ γὰρ βουλήματι αὐτοῦ τίς ἀνθέστηκε;

Dices ergo mihi, Quid adhuc conqueritur? nam voluntati illius quis resistit?

v. 20. Μενοῦνγε, ὦ ἄνθρωπε, σὺ τίς εἶ ὁ ἀνταποκρινόμενος τῷ θεῷ; μὴ ἐρεῖ τὸ πλάσμα τῷ πλάσαντι, τί με ἐποίησας οὕτως;

Atqui, ô homo, tu quis es, qui ex adverso respondes Deo? num dicet figmentum ei qui finxit, Cur me finxisti ad hunc modum?

v. 21. Ἢ οὐκ ἔχει ἐξουσίαν ὁ κεραμεὺς τοῦ πηλοῦ, ἐκ τοῦ αὐτοῦ φυράματος ποιῆσαι ὃ μὲν εἰς τιμὴν σκεῦος, ὃ δὲ εἰς ἀτιμίαν;

An non habet potestatem figulus luti, ut ex eadem massa fingat aliud quidem vas in honorem, aliud vero in ignominiam?

v. 22. Εἰ δὲ θέλων ὁ θεὸς ἐνδείξασθαι τὴν ὀργὴν, καὶ γνωρίσαι τὸ δυνατὸν αὐτοῦ, ἤνεγκεν ἐν πολλῇ μακροθυμίᾳ σκεύη ὀργῆς κατηρτισμένα εἰς ἀπώλειαν,

Quòd si Deus volens ostendere iram, & notam facere potentiam suam, tulit multa animi lenitate vasa iræ, apparata in interitum:

v. 23. Καὶ ἵνα γνωρίσῃ τὸν πλοῦτον τῆς δόξης αὐτοῦ ἐπὶ σκεύη ἐλέους ἃ προητοίμασεν εἰς δόξαν.

Et ut notas faceret divitias gloriæ ſuæ erga vaſa miſericordiæ, quæ præparaverat in gloriam:

v.24. Οὓς καὶ ἐκάλεσεν ἡμᾶς, οὐ μόνον ἐξ Ἰουδαίων, ἀλλὰ καὶ ἐξ ἐθνῶν.

Quos & vocavit, nimirum nos, non ſolùm ex Judæis, verum etiam ex Gentibus.

v.25. Ὡς καὶ ἐν τῷ Ὡσηὲ λέγει, καλέσω τὸν οὐ λαόν μου, λαόν μου. καὶ τὴν οὐκ ἠγαπημένην, ἠγαπημένην.

Quemadmodum & Oſee dicit, Vocabo populum qui meus non erat, populum meum: & eam quæ dilecta non erat, dilectam.

v.26. Καὶ ἔσται, ἐν τῷ τόπῳ οὗ ἐῤῥέθη αὐτοῖς, Οὐ λαός μου ὑμεῖς, ἐκεῖ κληθήσονται υἱοὶ θεοῦ ζῶντος.

Et erit, in loco ubi dictum fuerat eis, Non populus meus vos: ibi vocabuntur Filij Dei viventis.

v.27. Ησαΐας δὲ κράζει ὑπὲρ τοῦ Ισραὴλ, Ἐὰν ᾖ ὁ ἀριθμὸς τῶν υἱῶν Ισραὴλ ὡς ἡ ἄμμος τῆς θαλάσσης, τὸ κατάλειμμα σωθήσεται.

Eſaias autem clamat ſuper Iſrael, Si fuerit numerus filiorum Iſrael, ut arena maris, reliquiæ ſalvæ erunt.

v.28 Λόγον γὰρ συντελῶν καὶ συντέμνων ἐν δικαιοσύνῃ, ὅτι λόγον συντετμημένον ποιήσει Κύριος ὁ θεὸς ἐπὶ τῆς γῆς.

Sermonem enim perficiens & abbrevians cum juſtitia: quoniam ſermonem abbreviatum faciet Dominus in terra.

v.29. Καὶ καθὼς προείρηκεν Ησαΐας, Εἰ μὴ κύριος Σαβαὼθ ἐγκατέλιπεν ἡμῖν σπέρμα, ὡς Σόδομα ἂν ἐγενήθημεν, καὶ ὡς Γόμορρα ἂν ὡμοιώθημεν.)

Et quemadmodum priùs dixit Esaias, Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, ut Sodoma facti fuissemus, & Gomorrhæ assimilati fuissemus)

v.30. Τί οὖν ἐροῦμεν; Ὅτι ἔθνη τὰ μὴ διώκοντα δικαιοσύνην, κατέλαβε δικαιοσύνην, δικαιοσύνην δὲ τὴν ἐκ πίστεως.

Quid igitur dicemus? Quòd Gentes, quæ non sectabantur justitiam, apprehenderunt justitiam, justitiam autem eam, quæ est ex fide.

v.31. Ισραὴλ δὲ διώκων νόμον δικαιοσύνης εἰς νόμον δικαιοσύνης οὐκ ἔφθασε.

Contrà, Israel, qui sectabatur Legem justitiæ, ad Legem justitiæ non pervenit.

v.32. Διατί; ὅτι οὐκ ἐκ πίστεως, ἀλλ' ὡς ἐξ ἔργων νόμου. προσέκοψαν γὰρ τῷ λίθῳ τοῦ προσκόμματος.

Propter quid? Quia non ex fide: sed tanquam ex operibus Legis: impegerunt enim in lapidem offendiculi.

v.33. Καθὼς γέγραπται, Ἰδοὺ τίθημι ἐν Σιὼν λίθον προσκόμματος, καὶ πέτραν σκανδάλου, καὶ πᾶς ὁ πιστεύων ἐπ' αὐτῷ, οὐ καταισχυνθήσεται.

Quemadmodum scriptum est, Ecce pono in Sion Lapidem offendiculi, & Petram offensionis: & omnis, qui credit in eo, non pudefiet.

SCOPVS, THEMA ET PARTITIO TEXTUS.

VIII.

Hucusque Textus: Sequitur ANALYSIS. In qua istud inprimis constare debet, Apostolum Pau-

Paulum in toto hoc Capite nullum alium Scopum sibi propositum habere, quàm ut refellat & destruat sententiam Judæorum, aliorumúe, qui putabant fieri non posse, ut Deus populum Israëliticum, quem inde à Patrum memoria tanta complexus esset gratia, nunc demum abjiceret.

IX.

Hoc enim non solùm Judæis ipsis dictu acerbum & incredibile prorsus erat, qui gentibus cum Messia nihil commercii futurum esse putabant; sed etiam Gentes ipsas labefactare poterat, quòd viderent, Judæos, quibus Christus peculiariter promissus erat, quiq; tanto illius desiderio æstuabant, nihilominus Iesum Nazarenum aversari, respuere & ab illo separari. Quare, quũ in Calce capitis antecedentis octavi magno verborum conatu Dilectionis divinæ certitudinem astruxisset, procedit inde ad argumentum de Rejectione, quę cum Dilectione illa parum cohærere videbatur.

X.

Unde apparet, tractationem, in hoc Capite à Paulo institutam, esse ἀναασκευαστικὴν seu Refutatoriam. Cujus THEMA principale, seu ζητούμενον, quod Statum cõtroversiæ appellant, est istud: AN DEUS JUDÆOS POSSIT ABIICERE.

XI.

Idque ut rectè intelligatur, probè est dispiciundum. Non enim agitur hîc de Rejectione Judæorum, quæ sit idem, quod ipsa æterna REPROBATIO, qua DEUS illos, ut perduelles Evangelij, &

lij, & gratiæ ſuæ contemptores incredulos, juſto judicio, juxta æternum ſuum Decretum, ſempiternæ damnationi adjudicârit. Quòd qui opinantur, redarguuntur argumento ſequenti:

XII.

Quæcunq; Reiectio reiectis ſpem bonam recuperandæ ſalutis relinquit, ea non poteſt eſſe æterna Reprobatio.

Atqui Reiectio Iudæorum, de qua Paulus diſſerit in Epiſtola ad Romanos capp. 9. 10. & 11. *reiectis ſpem bonam recuperandæ ſalutis relinquit.*

Ergo Reiectio illa Iudæorum non poteſt eſſe æterna Reprobatio.

XIII.

Propoſitio perſpicua eſt: Quia contra Reprobationem æternam liquidò nihil eſt ſperandum aut pollicendum. Coniuncta enim eſt cum finalis impœnitentiæ præſcientia, quæ, ut ſcribit *Auguſtinus* in lib. de Bono perſever. cap. 17. *falli mutariq; non poteſt.* Unde quàm certum eſt, omnes illos ſalvos fieri, qui ab æterno ſunt electi. *Ioh. 10. v. 27. 28. 2. Tim. 2. v. 19. Rom. 8. v. 30. Auguſtinus lib. de prædeſt. Sanctor. capp. 16. 17. Et lib. de corrept. & gratia capp. 7. & 13. Fulgentius lib. 1. ad Monimum:* tam certum eſt quoque, omnes illos damnari, qui ab æterno ſunt reprobati.

XIV.

Aſſumptio probatur: 1. Quia Apoſtolus pro Iudæorum ſalute orat. Juxta illud *Rom. 10. v. 1. Fratres propenſa quidem voluntas cordis mei, & de-*

pre-

precatio, quæ fit ad Deum, pro Israel est ad salutem. Loquitur enim de illo Israele, de quo ibidem v. 3. dicit, *Propriam iustitiam quærentes constituere, iustitiæ Dei non fuerunt subditi.* Indeque Augustinus, *Deprecatur*, inquit, *Apostolus pro non credentibus, ut credant, pro adversis, ut convertantur.*

XV.

2. Quia per suum ministerium lapsos Judæos restitui posse confidit. Aut quid vult sibi, cum cap. 8. v. 13. & 14. scribit: *Vobis dico Gentibus, quatenus ego quidem sum Apostolus Gentium, ministerium meum illustro: Si quomodo ad æmulandum provocem carnem meam, & salvos reddam nonnullos ex illis?*

XVI.

3. Quia Judæos, ceu ramos naturales, per incredulitatem defractos, in oleam illam, quæ, ut loquitur Augustinus in lib. con. Iudæos, *in sanctis Patriarchis, tanquam in radice frugifera erat, rursum facilius inseri posse censet.* Huc enim tendunt, quæ ibidem differit autem v. 16. 17. 18. 21. 23. 24. 29. *Illi*, inquiens, *rursum, si non permanserint in incredulitate, inserentur: Potest enim Deus denuo illos inserere. Etenim si tu ex naturali exectus es oleastro, & præter naturam insitus es in veram oleam: quantò magis hi, qui naturales sunt, propriæ inserentur oleæ?*

XVII.

4. Quia Gentiles, nondum conversos, cum Judæis reiectis componit, ut quemadmodum

illi

illi adgratiam accesserint, ita istos ad eandem redituros esse significet. *Quemadmodum*, inquit v. *30. 31. & vos quondam increduli fuistis Deo, nunc autem misericordiam estis consecuti per illorum incredulitatem: sic & isti nunc increduli facti sunt ex eo, quod vos misericordiam estis adepti, ut & ipsi misericordiam consequantur.*

XVIII.

5. Huc accedit Mysterium illud, de quo ibidem Apostolus v. 25. & 26. scribit: *Excæcatio ex parte Israeli accidit, donec plenitudo Gentium advenerit: Et sic totus Israel salvus erit.* Quæ verba à multis de futura quadam Judæorum conversione, qua se gens illa communi consensu ad Ecclesiam Christi aggregatura sit, exponuntur. Vide *Augustinum* lib. 20. de civit. Dei cap. 29. & 30. Quod si futurum est, certè in perpetuum illa à Deo reiecta non est.

XIX.

Atque ita patet, Reiectionem Judæorum, de qua Apostolus hîc disserit, non esse *æternam* eorum *Reiectionem à gloria*, hoc est, non esse Reprobationem, qua illos ab æterno, ob prævisam finalem impœnitentiam, à gloria excluserit.

XX.

Ais, Quid ergò? Ajo, esse *temporalem Reiectionem* eorum *à gratia*: qua illos Deus, ob insignem Evangelii Christi & gratiæ cœlitus oblatæ contemptum, ab Evangelio, à Christo & à gratia sua ita exclusit, ut jam non ampliùs populus Dei ei

set.

let. Juxta illud Act. 13. *Vobis oportebat primùm loqui sermonem Dei: sed quoniam repellitis & indignos vos judicatis æterna vita, ecce cõvertimur ad Gentes.* Hæc enim Rejectio spem bonam recuperandæ salutis per pœnitentiam & fidem relinquit: Etsi in multis eventus deficiat, qui ob finalem impœnitentiam damnantur.

XXI.

Id verò *Judæi negabant*, quorum animis altè insederat opinio ista, gentem suam in peculium Dei ita esse assumptam, ut nullum unquam futurum sit tempus, quo populus Dei esse desinat. Contrà *Apostolus*, etsi ἀποφάσει contrarium hîc non affirmet (quod facit *cap. 11. v. 15*) idipsum tamen haud obscurè significat, quando non solùm ἀποφάσιν Judæorum fundamentum subducit, sed etiam in ipso Capitis vestibulo συμπάθειαν suam, ob Judæorum ruinam exponit, & pro illis anathema a Christo fieri præoptat.

XXII.

Quapropter, quemadmodum in Disputatione ἀναπολογητικῇ, qua Adversariorum argumenta diluuntur, duo præcipuè requiruntur: *Unum* ut Argumentum adversariorum rectè assumatur: *Alterum* ut ad illud concinnè respondeatur: Sic quoq; capitis hujus partes sunt duæ: *Una*, in qua argumentũ Judaicũ assumitur & cõmemoratur; *Altera*, in qua Responsio Apostolica continetur.

XXIII.

PARS PRIOR *duobus* constat *membris*:

Quorum prius est *Insinuatio*: Posterius Argumenti Judaici *narratio*.

PARTIS. I. MEMBRVM PRIVS.

XXIV.

Quia enim, si quid illicò verbis nudis & crudis de Judæorum horrenda abiectione fuisset dictum, suspicio inde suboriri poterat, quasi ex animo, malevolentia & Βασκανίᾳ suffuso, profectus esset sermo, Apostolus, ut invidiam declinaret, suspicionem istam à se dimoveret, & benevolentiam captaret, non minùs candida, quàm solerti quadam Insinuatione voluit uti. In qua non sollùm Judæos *fratres* & *cognatos* suos appellat; sed etiam isti malevolentiæ & Βασκανίᾳ suspicioni opponit ingentem suam tristitiam & dolorem, quo ob Judæorum ruinam excrucietur.

XXV.

Quod ut planiùs appareat, Syllogismus fuerit talis:

Qui magna tristitiâ & continuo quodam dolore, ob fratrum suorum ruinam, excruciatur, is à suspicione malevolentiæ & Βασκανίας immunis esse debet.

Atqui Paulus magna tristitiâ & continuo quodam dolore, ob fratrum & cognatorum suorum ruinam, excruciatur.

Ergo Paulus à suspicione malevolentiæ & Βασκανίας immunis esse debet.

XXVII.

Propositio nititur ratione *Oppositorum*. Sunt enim ἀνλυπείμενα, Tristitia magna ex alterius calamitate susceptа, & Malevolentia adversus eundem; item continuus & non intermissus dolor è malo alterius, & ἐπιχαιρεκακία. *Assumptio* habetur in v. 2. & approbatur cùm *juramento*, tum *voto*, exquisiti affectus symbolo.

XXVII.

Jurámentum extat in v. 1. Ubi provocat ad testimoniũ trium augustissimorum testium: nempe *Christi*, qui per adventum suum in die illo censorio illustraturus est occulta tenebrarum, & patefacturus consilia cordium; *Spiritus sancti*, qui omnia scrutatur, etiã profunditates Dei; & *Conscientiæ*, quam mille testium instar esse, rectè dixerunt Veteres. *Veritatem*, inquit, *dico in Christo, non mentior, attestante mihi simul conscientia mea per Spiritum sanctum*.

XXVIII.

Votum extat in v. 3. ubi dicit: *Optârim ego ipse anathema esse à Christo pro fratribus meis, cognatis meis secundum carnem.* Quæ verba licet Apostoli affectum erga Judæorum salutem propensissimum graphicè demonstrant, *categoricè* tamen & absolutè non sunt accipienda.

XXIX.

Nanque ἀνάθεμα εἶναι, ut apud *Oecumenium* explanat *Photius*, est, Χωρισθῆναι καὶ ἀποξενωθῆναι, id est, separari & ab alienari; sive jam illud de *separatione Damnationis* æternæ, sive de *separatio-*

ne Rejectionis temporalis accipiatur. E diverſo verò Apoſtolus ſatis habebat perſpectum, eos, *qui* libro vitæ ab æterno ſemel ſint inſcripti, nunquam inde expungi, ut docet *Auguſtinus* in ſua in Pſal. 68. enarratione: Idemque paulò ante in extremis capitis antecedentis verbis negârat, ſe per ullam creaturam à dilectione, quæ eſt in Chriſto Jeſu Domino noſtro, ſeparari poſſe: & alibi proram ac puppim ſtudiorum ſuorum in amore Chriſti collocat. Quomodo igitur abſolutè jam optaret, pro fratribus Judæis, inſtar anathematis, à Chriſto ſeparari?

XXX.

Nec dici poteſt, per intemperiem præcipitis affectus verbũ inconſideratum Apoſtolo excidiſſe. Non enim quod præcipitanter effundebat, ſed quod in animo rectè meditatum habebat, literis commendabat, nullâ ἐπανορθώσει ſubjectâ. Imo *verſic. 1.* profitebatur, ſe *veritatem per ſpiritum S. loqui.*

XXXI.

Reſtat itaq;, ut verba illius voti *Hypothetic*è accipiamus: hoc eſt, ita ut ſubintelligatur conditio quædam. Qualis eſt: Si fieri poſſet: Aut, ſi fas eſſet, & ita liceret: Aut, ſi à Deo daretur optio, ut alterutris, vel ipſis, vel ſibi à Chriſto eſſet recedendum. Aut ſi DEUS reciperet talem optionem, qualem ferebat Moyſes, cum DEO, ob μοιχολατρείαν populi graviſſimè iraſcenti, ſemetipſum objiceret, dicens: Exod. 32. v. 31. 32. *Obſecro Do-*

mine,

mine, peccavit populus iste peccatum maximum, fecerunt q; sibi Deos aureos: Aut dimitte eis hanc noxam: Aut, si non facis, dele me de libro tuo, quem scripsisti.

XXXII.

De quo ita commentatur *Augustinus* in Enarratione Psal. 77. *Ille* (Moyses) *intercedit paratior deleri pro ipsis, quàm ipsos; Sciens apud misericordem se id agere, qui quoniam nullo modo deleret ipsum, etiam illis parceret propter ipsum.* Item in Enarratione Psal. 105. *Securus Moyses de justitia Dei, quæ eum delere non posset, impetravit misericordiam, ne illos, quos justè posset, deleret.* Item in quæst. 147. super Exodum: *Securus*, inquit, *hoc dixit, ut in consequentibus ratiocinatio concludatur: Id est, ut quia Deus Moysen non deleret de libro suo, populo peccatum illud remitteret.*

PARTIS I. MEMBRVM POSTERIUS.

XXXIII.

Hæc de membro *priori*: Sequitur *posterius*, quo ipsum *Iudaicum argumentum* enarratur. Quod si idoneo *Syllogismo* explicetur, est tale:

XXXIV.

Quos Deus per ampliſſimas promiſſiones & prærogativas adoptavit ſemel, eos jam non poteſt abiicere.

Atqui Iſraëlitas DEUS per ampliſſi-

mas promiſſiones & prærogativas adoptavit ſemel.

Ergo Iſraëlitas DEUS jam non poteſt abiicere.

XXXV.

Propoſitio ducebatur à fide & veritate Dei; de qua dictum eſt Pſal. 117. v. 2. *Confirmata eſt ſuper nos miſericordia eius: & veritas Domini manet in æternum.* A qua verò plurimum videbatur abhorrere, ſi Deus, qui nec fallere nec falli poſſit, *Rom. 3. v. 4. Tit. 1. v. 2. Heb. 6. v. 18.* populum, quem ſemel tam magnificè adoptaſſet, rurſum abjiceret.

XXXVI.

Aſſumptio poſita eſt in *verſu 4. & 5.* Ibi enim primùm fit mentio τῆς υἱοθεσίας, ſeu *Adoptionis.* De qua dictum eſt à Domino Exod. 4. v. 22. *Filius meus primogenitus Iſrael.* Item Jerem. 31. v. 9. *Factus ſum Iſraeli Pater, & Ephraim primogenitus meus eſt.* Et à Moyſe Deut. 32. v. 8. & 9. *Quando dividebat Altiſſimus gentes; quando ſeparabat filios Adam, conſtituit terminos populorum, juxta numerum filiorum Iſrael. Pars autem Domini populus eius Iacob, funiculus hæreditatis eius.*

XXXVII.

Deinde commemorantur ἐπαγγελίαι, ſeu *Promiſſiones* divinæ. Quarum aliæ erant corporales, aliæ ſpirituales: Utræque tam copioſæ & amplæ, ut neminem, qui vel primoribus duntaxat labris ſacræ Scripturæ lectionem deguſtaverit, præterire

poſſint,

possint: Omnes verò tanquam in fasciculo continentur in illâ, qua Dominus Abrahamo dicebat: *Ero Deus tuus & seminis tui post te.*

XXXVIII.

Tum recensentur ἐξοχαὶ seu magnificæ quædam *Prærogativæ*, tanquam κειμήλια, quibus populus Israeliticus præ omnibus aliis gentibus à Deo fuit exornatus. Juxta illud, Psal. 147. v. 20. *Non fecit taliter omni nationi.* Videamus, quænam sint illæ.

XXXIX.

Prima erat ἡ δόξα, seu *Gloria.* Quam vocem nonnulli accipiunt de *gloria miraculorum*, quæ in populo isto admodum illustria fuerunt. Juxta illud, Deut. 4. v. 34. 35. *An tentavit Deus, ut ingrederetur & tolleret sibi gentem de medio nationum, per tentationes, signa atq; portenta, per pugnam & robustam manum, extentumq; brachium, & per tremenda magna, juxta omnia, quæ fecit pro vobis Dominus in Ægypto, videntibus oculis tuis: & scires, quoniam ipse est Deus, & non est alius, præter eum.* Alii interpretantur de *Arca fœderis*, quæ erat gloriæ & præsentiæ divinæ Symbolum, μετωνυμικῶς sic appellata. Quibus suffragantur Scripturæ exempla: *1. Sam. 4. v. 22. Esa. 64. v. 11. Ier. 14. v. 21. Ier. 17. v. 12.* Item *Psal. 26. v. 8.* ubi templum *locus habitationis gloriæ Dei* appellatur.

XL.

Secunda: αἱ διαθῆκαι, seu *Testamenta.* Quod de duobus illis Testamentis Vetere & Novo, ex-

ponit *Augustinus*, in lib. contra Faustum Manichæum, ubi scribit: *Cur Testamenta dixit ad Israelitas pertinere præcipuè, nisi quia & Vetus Testamentum illis est datum, & Novum in Vetere figuratum?* Alii unius *Testamenti legalis* aliam atque aliam sanctionem, quarum una descripta sit, *Gen.17.* altera *Exod.14.v.6.7.8.* denotari putant. Quia verò proximè mentio facta est Arcæ fœderis, concinnum erit, si accipiatur de *duabus Tabulis*, in quibus Decalogus digito DEI fuit exaratus, *Exod. 34.v.28. Deut.10.v.2.* quæ in Arca fœderis repositæ, *Deut.10.v.5. 1.Reg.8.v.9. 2.Paral.5.v.10. Tabulæ fœderis & Testamenti* ipsæ quoq; sunt dictæ. *Deut.4.v.11. & 15. Heb.9.v.4.* Hîc verò *μεϛωνυμικῶς* Testamenta appellantur.

XLI.

Tertia: ἡ νομοθεσία seu *Legis constitutio.* Cujus vocis significatus similiter est ambiguus. Neque enim litigandum est cum iis, qui illam referunt ad inclytam illam *Promulgationem legis*, passim in lacris scripturis decantatam, qua inter clangores tubæ, aliaque stupenda prodigia, Lex Decalogi, è monte Sinai, populo Israelitico fuit commendata; *Exod.19. &. 20.* vel etiam ad universum legis systema. Veruntamen quia Decalogi proximè facta est mentio, & Apostolus ad distinctas legis antiquæ classes digitum intendere videtur, jam νομοθεσία illa εἰδικῶς accommodabitur ad legis partem *Iudicialem*, qua forum politiæ Israeliticæ constituebatur.

XLII.

Quarta: ἡ λατρεία seu *Cultus*. Quod nomen vulgò *Servitium* quodcunque significat. Hîc verò, sicut & alibi, in significatu strictiori refertur ad servitutem religionis, quam vocant cultum, qui soli debetur DEO. Juxta illud *Augustini* lib. 1. de Trin. cap. 6. *Iubemur non servire creaturæ, sed Creatori, non eo modo, quo iubemur per charitatem servire invicem, quod est Græcè* δουλεύειν, *sed eo modo, quo tantùm DEO servitur, quod est Græcè* λατρεύειν. Hunc igitur *modum*, prout quidem Deus in veteri Testamento voluit coli, cum lex cerę-
monialis præscriberet, jam, sicut per νομοθεσίαν *lex Iudicialis*, quæ erat virgultum secundæ tabulæ, fuit intellecta, ita hîc λατρείας nomine peculiariter intelligatur *lex Cæremonialis*, quæ instar virgulti è prima tabula pullulascebat.

XLIII.

Quinta: οἱ Πατέρες, seu *Patres*. Quia enim splendor natalium & laudabilis Majorum memoria ad populi alicuius dignitatem illustrandam non parum confert, insigne sanè Judæorum decus erat, quòd originem suam ducerent à Patribus clarissimis, & Patriarchis illis DEO dilectissimis, quorum nomina etiam titulo suo iuserere dignatus est. Dicebat enim: *Ego sum Deus patrum vestrorum, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob. Exod. 3. v. 6. 15. 16. Exod. 4. v. 5. Exod. 6. v. 2. Matth. 22. v. 32. Marc. 12. v. 36. Luc. 20. v. 37.*

XLIV.

Sexta: ὁ Χριστὸς *Christus*: Qui ex illo populo naſciturus, adeoque jam natus erat. Etſi enim Judæi Jeſum Nazarenum, qui Chriſtus *ille* erat, non recipiebant, ſed reſpuebant: Attamen hoc in ore erat omni populo, Chriſtum non aliunde, quàm è populo Judaico & è domo Davidis proditurum eſſe. Indeque eum prodiiſſe, reſtatur hîc Apoſtolus, quando non ſolùm affirmat, Chriſtum, qui ſit *Deus laudandus in omnia ſecula*, è Patribus oriundum eſſe ſecundum carnem, ſed etiam, adhibita particula aſſeverandi, ἀμὴν, vehementer hoc ipſum confirmat.

XLV.

Quod certè, atteſtante *Simeone ſene. Luc. 2. v. 32.* illius populi inæſtimabile prorſus ornamentum erat: non tantùm ob ſanctitatem illius Filii, qua Patres omnes, ceu Sanctus ſanctorum, longiſſimo intervallo anteibat; ſed etiam ob dignitatem Perſonæ ejus, mirabiliter ſingularem, & ſingulariter mirabilem; qua idem erat filius hominis & filius Dei, verus Homo & verus Deus, è patribus oriundus in tempore, & ante omnia tempora ab æterno ſubſiſtens; illud ſecundum carnem, hoc eſt, aſſumptam humanam naturam, hoc ſecundum Deitatem, per quam eſt *ſuper omnia Deus benedictus in ſecula.*

PARTIS II. MEMBRVM PRIMUM.

XLVI.

Hacte-

Hactenus fuit pars prior Capitis: sequitur nunc *Pars posterior*, in qua Apostolus ad Α'πολογητικὸν *Iudaorum argumentum* respondet.

XLVII.

Eius membra sunt *quatuor*. Tot enim sunt quoque membra *Responsionis*, quam Apostolus in sequentibus profert ad diluendam Judaicam illam *Obiectionem*: in qua arcé causæ constituebant Judæi *Matth. 3. v. 9. Ioh. 8. v. 39.* & quæ multis videri poterat αἰτιολόγητος & Achillæa.

XLVIII.

Primum Responsionis Apostolicę membrum spectat ad *Assumptionem* Judaici argumenti; præsertim verò ad istud, quod de *Adoptione* & amplissimis *Promissionibus* Dei objiciebatur. Erat autem Assumptio illa talis: *Israelitas Deus per amplissimas promissiones & prærogativas semel adoptavit.* Ad quam Paulus per *distinctionem* respondet.

XLIX.

Distinguit enim inter Israelitas; quorum alii, ut habet vers. 8. sint *filij carnis*, alii *filij promissionis*. *Filios carnis* appellat eos, qui ab Israele per traducem solius generationis carnalis descendebant: *Filios promissionis* verò istos, qui non solùm carnis originem ex Israele trahebant, sed etiam prædicti erant fide, quæ in Israele Patre fuerat, & in promissione, tanquam fundamento δικαίῳ, recumbit. Qualis erat *Nathanael*, de quo pronunciabat Dominus.

minus *Ioh. 1. v. 47. Ecce vere Israelita, in quo dolus non est.*

L.

De Israelitis, qui sunt *Filij promissionis*, concedit Apostolus verum esse, quod dictum est in *assumptione*, nempe, *Deum adoptasse illos per promissiones & prærogativas amplissimas. Qui sunt filij promissionis*, inquit v. 8. *recensentur in semen.* Semen intellige illud, de quo dictum est: *Ero Deus tuus & seminis tui post te.* At de Israelitis, qui sunt Filii carnis, id negat. Disertè enim dicit ibidem: *Non qui filij carnis, ij filij DEI.* Quorum verborum sensus est: Adoptionem & Promissiones, quibus illa Adoptio cõtinetur, & de quibus hoc in membro potissimùm agitur, ad Israelitas, qui sunt Filii carnis, non pertinere.

LI.

Unde palàm fit, Primum errorem, admissum in argumento Judaico, esse παρὰ ἄγνοιαν & ἔλεγχον. Namque si, quod τρόπον & παιδείας habet, *in conclusione plus esse non debet, quam fuit in præmissis*, patet *conclusionem* non nisi de Israelitis, qui sunt Filii promissiouis accipiendam esse. Quod quidem Apostolus lubens agnoscit: qui ideo præfatur & dicit v. 6. *Non hæc loquor, quòd exciderit sermo DEI.* Quod enim talibus Israelitis promissum erat, utique præstabatur illis á Deo. Quæstio autem erat non de solis Israelitis illis, qui Filii promissionis erant, sed de Israelitis universè, adeoq; de istis præcipuè, qui tantùm carnis Filii erant; &

quo-

quorum multitudo tanta erat, ut præ illa cæteri pro *reliquiis* habendi essent. *v. 27. & cap. 11. v. 5.*

LII.

Cæterùm quia in Theologia ea demum Distinctio meretur laudem, cuius membra in S. Scriptura, quæ sola est fidei nostræ μέτρον, lucent: visum est Apostolo non tantùm *Distinctionem* illam in medium proponere, sed etiam *Argumento* quodam constabilire. Quod tale est:

LIII.

Si quidam ex Israele sunt oriundi, qui tamen veri Israelitæ non sunt, sequitur, Israelitarum alios esse tantùm filios carnis, alios verò esse etiam filios promissionis.

Antecedens est verum.

Quare & Consequens.

LIV.

Connexum per se manifestum est. Quicunque einim ex Israele sunt oriundi, puta quoad traducem sanguinis & prosapiæ, ij sunt Israelitæ tales, qui saltem filii carnis sunt. Quia verò istorum quidam veri Israelitæ non sunt, consequens est, veros Israelitas non è carnis satu, sed aliunde, nempe ex fidei traduce esse metiendos: hoc est, Israelitas veros esse, non qui carnis tantùm sunt filii, sed qui insuper sunt filii promissionis: Siquidem, ut habet vers. 8. *Filij promissionis recensentur in semen* juxta illud: *Qui ex fide sunt, hi sunt filij Abrahæ.* Gal. 3. v. 7.

LV.

Assumptum extat in *vers.* 6. verbis, κατ' ἀνθανάιρεσιν, qua in significatu diverso vox eadem in eadem sententia iteratur, eleganter expressis: *Non omnes, qui sunt ex Israel, sunt Israel.* Quod quia est κενόμενον, approbatur ab Apostolo *Prosyllogismo* tali:

LVI.

Si quidam sunt semen Abrahæ, qui tamen non sunt filij veri Abrahæ, etiam quidam ex Israele oriundi fuerint, qui tamen non sunt veri Israelitæ.

Verum est prius.

Verum igitur posterius.

LVII.

Connexum nititur ratione *Parium.* Quippe sicut se habent filii Abrahæ ad Abrahamum Patrem, ita se habent filii Israelis ad Israelem Patrem. *Assumptum* habetur in *vers.* 7. ubi Apostolus scribit: *Neq; quia sunt semẽ Abrahæ statim omnes filij.* Ubi ὡς ἐν παρόδῳ monendum, *Seminis* vocem aliter usurpari ab Apostolo in *vers.* 8. aliter in *v.* 7. Illic dicitur Semen, quod, ut loquitur Augustinus, pertinet ad civitatem DEI, seu quod est Semen promissionis, dicente Apostolo: *Filij promissionis reccensentur in semen:* Hîc verò, quod est semen carnis, dicente Apostolo: *Non quia sunt semen, statim omnes filij.* Nam & Ismael hoc modo dicitur semen Abrahæ. *Gen. 21. v. 13.*

LVIII.

Idque confirmatur *exemplo* Ismaelis & Isaaci *v. 7. & 9.* quorum uterque erat semen Abrahæ,

quoad

quoad nativitatem carnis; nec tamen uterq; erat filius Abrahæ & filius promissionis, nempe talis, qui è promissione suscipiendus esset, in quo nominaretur semen Abrahæ, in quo secundum promissionem Domini benedicendæ essent omnes gentes, & ad quem hæreditas Abrahæ, Patris credentium, reditura esset.

LIX.

De Ismaele enim dictum est: *Gen. 21. v. 10. Gal. 4. v. 30. Ejce ancillam & filium illius: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ.* Et è diverso de Isaaco, in quo, ut docet *Augustinus* lib. 1. con. Julian. *præfigurati sunt ij, non qui seipsos justos, sed quos Deus fuerat ipse facturus*, dictum est illud: *Gen. 21. v. 11. Per Isaac nominabitur tibi semen:* Item, *Sermo Promissionis hic erat*, inquit Apostolus, *v. 9. In tempore hoc veniam, & erit Saræ filius. Gen. 18. v. 10.* Eodemq; spectat & istud: *Gen. 25. v. 5. 6. Deditq; Abraham cuncta, quæ possederat, Isaac: Filiis autem concubinarum, quas habuit Abraham, largitus est munera, & separavit eos ab Isaac, filio suo, dum adhuc ipse viveret, ad plagam Orientalem.*

PARTIS II. MEMBRVM SECUNDUM.

LX.

Hęc de *Primo* Responsionis Apostolicę membro: sequitur *Secundum*: quod concernit Judaici argumenti Propositionem; præsertim verò

istud,

istud, quod in illa de ampliſſimis *prærogativis* objiciebatur.

LXI.

Poſtquam enim de Adoptione & Promiſſionibus, quæ ad ſolos Iſraelitas, qui ſunt tales ſecundum ſpiritum & fidem, ſpectabant, in *v. 6. 7. 8. 9.* quantum ſatis erat, dixerat, etiam de *Prærogativis*, quas Judæi factuosè jactabant, ſibi diſſertandum eſſe exiſtimavit.

LXII.

Ea Diſſertatio Apoſtoli complectitur *tria*: quorum *Primum* eſt, ἔλεγχος, ſeu ἐλεγκτικὴ illa, de qua dictum eſt, Reſponſio: Reliqua *Duo* ſunt totidem *Occupationes*, quas Græci προλήψεις vocant: ad quas Apoſtolus, pio accenſus zelo, & ſtudio vindicandi gloriam ac liberrimam poteſtatem Dei, per quandam *Digreſſionem* provehitur.

LXIII.

Ut igitur de Reſponſione illa primò dicamus, *Propoſitio* argumenti Judaici erat talis: *Quos Deus per ampliſſimas promiſſiones & prærogativas ſemel adoptavit, eos jam non poteſt abjicere.* dd hanc reſpondet Apoſtolus, demonſtrando contrarium; nempe, *Deum poſſe eos, quos per ampliſſimas prærogativas ſemel adoptavit, rurſum abjicere.*

LXIV.

Ἐπιχείρημα, quo illud demonſtrat, hunc gignit nobis *Syllogiſmum*:

Quem datæ prærogativæ (puta, quas dedit ipse) *non obstringunt, is potest eos, quos per amplissimas prærogativas adoptavit semel, rursum abjicere.*

Atqui Deum datæ prærogativæ non obstringunt.

Ergo Deus potest eos, quos per amplissimas prærogativas adoptavit semel, rursum abjicere.

Quæ *Complexio* Propositioni Judaicæ ἐλεγχῶς repugnat.

LXV.

Propositio non eget probatione. Sunt enim ἐναντίως *oppositæ:* Per Prærogativas datas datorem earum obstringi: Eundemque eos, quos per Prærogativas adoptavit semel, rursum posse abjicere. Itaque sublato priori, posterius rectè asseritur. Videlicet, qui Prærogativas ita concedit aliis, ut interim liberrimam potestatem sibi reservet, potest utique, quos illis dignatus est semel, rursum abjicere, & gratia sua privare.

LXVI.

Assumptio continetur in *exemplo* Esavi, indéque explicatur *Prosyllogismo* tali:

Si Deus Esavum posposuit Jacobo, secundum propositum suæ liberrimæ Electionis & Gratia, sequitur, datas prærogativas Deum non obstringere.

Antecedens est verum.

Verum igitur & Consequens.

LXVII.

Connexum patet. Erat enim Esavus primogenitus, ὑστερογενὴς seu postgenitus Jacobus. Primogeniti verò Prærogativa erat ingens. Nanque is,

tanquam familiæ caput, jus regni & sacerdotii inter fratres obtinebat: juxta illud, Gen. 49. v. 3. *Ruben Primogenitus meus, tu fortitudo mea & principium roboris mei, Prior in donis, major in imperio.* Unde Primogeniti, postquam loco eorum Levitæ ad sacerdotium assumpti erant, stato quodam redimebantur precio, *Exod. 13. v. 2. 13. 15. Num. 3. v. 12. Num. 18. v. 16.* Idem in accubatione e pulari supremo considebat loco. *Gen. 43. v. 33.* & fratribus cæteris benedicebat. Item in herciscunda hæreditate partes duæ cedebant Primogenito: juxta illud, Deut. 21. v. 16. *Si quis voluerit substantiam inter filios suos dividere, non poterit filium dilectæ facere primogenitum, & præferre filio odiosæ, sed filium odiosæ agnoscet primogenitum, dabitq; ei de bis, quæ habuerit cuncta duplicia: iste enim est principium fortitudinis ejus & huic debentur primogenita.* Deniq; Primogeniti typus erant πρωτότοκος illius, per Antonomasian sic dicti, Christi, in quo benedicuntur fratres. *Psal. 89. v. 28. Matt. 1. v. 25. Luc. 2. v. 7. Heb. 1. v. 6. Rom. 8. v. 29.*

LXVIII.

Assumptum est κεκλημένον. Quod ut rectè stabiliatur, Apostolus *duo* probat. *Unum*, quòd Esavum Deus Jacobo postposuerit: *Alterum*, quòd istud fecerit secundum Propositum liberrimæ suæ Electionis, & Gratiæ erga Jacobum.

LXIX.

Prius illud, nempe, *quòd Deus Esavum, natu*

ante-

anteriorem, Iacobo, natu posteriori, postpositurit. conficitur ab Apostolo v. 12. & 13. *testimonijs duobus.* Quorum *unum* est Oraculum Dei, qui consultus à prægnante matre Rebecca, respondit ei hisce, Gen. 25. v. 23. *Major servier minori. Alterum* sumptum est è Prophetia Malachiæ, antiquum Dei consilium, ut loquitur *August.* in lib. ad Bonifacium, hac de re declarantis; per quem Dominus *v. 2. & 3.* pronunciat: *Dilexi Iacob. Esau autem odio habui.*

LXX.

De Jacobo & Esavo.

Quæ verba qui accipiunt de *Dilectione* tali, qua Jacobus ad vitam æternam æterno Dei decreto fuit prædestinatus, & de *odio* tali, quo Esavus ad mortem æternam æterno Dei decreto fuerit reprobatus, certè à genuino eorum sensu longe recedunt, & miserè hallucinantur ac errant.

LXXI.

Primùm enim errant περὶ τὸ ζητούμενον. Constat enim ex ijs, quæ suprà de Themate Capitis principali sunt dicta, Apostolum non instituisse Disputationem de Decretis æternæ Electionis aut Reprobationis, sed de Rejectione Judæorum à gratia, à Christo & ab Evangelio, in tempore factâ, quam ilico subsecuta est Gentilium vocatio.

LXXII.

Id quod probè animadvertit orthodoxa antiquitas, teste *Augustino:* qui *lib. 16.* de *civit. Dei c. 35.*

ita proditit: *Paulus apostolus magnum vult intelligẽ gratiæ documentũ: quia nondũ illis natis, nec aliquid agẽtibus boni seu mali, sine ullis bonis meritis eligitur minor, maiore reprobato: quoniã procul dubio, quantum attinet ad originale peccatum, ambo pares erant: quantum autem ad proprium, nullius eorum ullum erat. Quod autem dictum est: Maior serviet minori, nemo ferè nostrorum aliter intellexit, quàm maiorem populum Iudæorum minori populo Christianorum serviturum. Et revera quamvis in gente Idumæorum, quæ nata est de maiore, cui duo nomina erant (nam & Esau vocabatur, & Edoem, unde Idumæi) hoc videri possit impletum: quia postea superanda fuerat à populo, qui ortus est ex minore, id est, ex Israelitico, eiq; fuerat futura subiecta: tamen in aliquid maius intentam fuisse istam prophetiam, qua dictum est: populus populum superabit, & maior serviet minori, conveniens creditur. Et quid est hoc, nisi quòd in Iudæis & Christianis evidenter impletur?*

LXXIII.

Deinde errant πρὸς τὸ ὑποκείμενον: dum illud, quod de Jacobo & Esavo est dictum, ad personam utriusque adstringunt; quod tamen non tam in ipsis, quàm in posteritate utriusque eorum ad implendum fuisse, liquet. En verba Oraculi, ad Rebeccam dicentis, Gen. 25. v. 23. *Duæ gentes sunt in utero tuo, & populi duo ex utero tuo dividentur, populusq; populum superabit, & maior serviet minori.* En verba Isaaci grandævi, benedicentis

Jaco-

Jacobo, Gen. 27. v. 29. *Serviant tibi populi & adorent te tribus: Esto Dominus fratrum tuorum, & incurventur ante te filii matris tuæ.* En verba Domini apud Malachiam Prophetam, quæ integrè sonant ita: *Dilexi vos, dicit Dominus: & dixistis: In quo dilexisti nos? Nonne frater erat Esau Iacob, dicit Dominus? Et dilexi Iacob: Esau verò odio habui, & posui montes eius in solitudinem & hæreditatem eius in desertum draconis. Quòd si dixerit Idumæa destructi sumus, sed revertentes ædificabimus, quæ destructa sunt: hæc dicit Dominus exercituum: Isti ædificabunt & ego destruam.*

LXXIV.

E diverso verò in historia de reditu Jacobi è Mesopotamia *Gen. 32. & 33.* recensetur, Jacobum non semel Esavum fratrem, obviam progressum, appellare suum Dominum; prono vultu & corpore septies honorare; gratiam illius studiosè aucupari: Et inter cætera dictitare: *Sic vidi faciem tuam, quasi viderim vultum Dei. Esto mihi propitius, & suscipe benedictionem, quam attuli tibi. Gen. 33. v. 10.* Quod multum abludit à prophetica benedictione Isaaci; siquidem illa de persona Iacobi intelligatur: non autẽ si de posteritate eius.

LXXV.

Nam de Amasia est proditum, quòd Idumæos, qui sæpenumero ab imperio Judæ deficiebant, *2. Reg. 8. v. 22.* percusserit. *2. Reg. 14. v. 7.* Eaque de re ita refert *Augustinus* in lib. quæst. genes. qu. 83. *In eo quòd Dominus respondet Rebeccæ, Duæ*

gentes in utero tuo sunt, & duo populi de utero tuo separabuntur, & populus populum superabit & maior serviet minori, spiritali intelligentia carnales in populo Dei significantur per maiorem filium, & spiritales per minorem. quia dicit sicut Apostolus, non prius quod spiritale est sed quod animale, postea spirituale. Solet & sic intelligi hoc quod dictum est, ut in Esau figuratus sit maior populus Dei, hoc est, Israeliticus secundum carnem. Per Iacob autem figuratus est ipse Iacob secundum spiritalem progeniem Sed etiam historica proprietate hoc responsum invenitur esse impletum: Vbi populus Israel, hoc est, Iacob minor filius superavit Idumæos, hoc est gentem quam propagavit Esau, eosq; fecerunt tributarios per David. Quod diu fuerunt usque ad regem scilicet Ioram, sub quo Idumæi rebellaverunt, & jugum Israelitarum à cervice sua deposuerunt. Sicut scriptum est: Iacob dilexi, Esau autem odio habui.

LXXVI.

Postremò errant περὶ τὸ χῆμα τῆς λεξέως, quando vocabula *Dilectionis* & *Odij* de æterna Electione ad vitam æternam & æterna Reprobatione ad damnationē æternam exponunt. Quam expositionem, præterquam quòd à genuin scopo Apostoli recedit, etiam quædam alia incommoda, quæ inde suborirentur, elidunt. Cujusmodi sunt ista:

LXXVII.

I. Sequeretur, omnem posteritatem Jacobi ad vitam æternam esse prædestinatam, & omnem

posteritatem Esavi ad damnationem æternam esse reprobatam. Quorum utrunque est ἀσύμβολον & falsum. Nam de posteritate Jacobi dictum est in membro primo: *Non omnes, qui sunt ex Israel esse Israelem.* Immo Disputationis Paulinæ hic est scopus, ut evincat, *Deum posse Iudæos, qui erant posteritas Iacobi, abijcere.* Contra verò de posteritate Esavi, seu Idumæis, dictum est paulò superiùs, ingressuros illos esse ad regnum Messiæ. Idque ita factum esse, universalis Gentium vocatio à qua Idumæi nunquam fuere excluſi, reddidit testatum. Ut nunc silentio involvantur singuli, qui etiam in V. Testamento religioni Israeliticæ dederunt nomen. *Ratio consecutionis* est, quia, ut dictum est, ad populos potiùs, ab utroq; fratre orituros, quam ad ipsos fratres, testimonia allegata referenda sunt.

LXXVIII.

II. Quia nondum liquet, an Esavus sit damnatus: quem fortè immerentem quis damnabit? Certè si DEUS illum ex odio quodam æviterno ad damnationem æternam reprobasset, quibus oculis Rebecca mater, quæ responsum Dei procul dubio probè intelligebat, istud desperatum Satanę mancipium, ex se natum, intueri potuisset? Quo affectu Isaacus pater filium, Deo max. penitus exosum, tantopere amare poterat? *Gen. 25. v. 28* Quomodo circumcisionis Sacramentum conferri eidem potuit? Itáne Deus in fœdus suum recepit eum, quem fatali prosequebatur odio? Justi-

tiam fidei obſignabat ei, quem ab æterno damnationi adjudicârat?

LXXIX.

Nec impedit, quòd alicubi legitur graviter deliquiſſe; 1. in ſeipſum, jus primogenituræ negligenter vendendo; 2. in fratrem, conſilium parricidii ineundo; 3. in parentes, uxores parentibus inviſas ducendo. Nam idem *Gen. 27. v. 34.* ingemiit clamore magno, & præmagna animi ægritudine conqueritur, non tantùm de Benedictione, ſed etiam de Privilegio primogenituræ ſibi præreptо. *Gen. 33. v. 4. 9. 10. 12. 15.* in gratiam recipit fratrem Jacobum. *Gen. 35. v. 29.* parentis ſepulturam cum fratre Jacobo curat. E quibus, illum ad meliorem frugem rediiſſe, nõ immeritò cenſetur.

LXXX.

Quod autem *Heb. 12. v. 17.* dicitur, illum *pœnitentiæ locum non reperiſſe, tametſi cum lachrymis eam quæſiverit:* loquitur illius Epiſtolæ auctor non de pœnitentia *Admiſſi*, quaſi veniam illius per lachrymas ſuas adipiſci non potuerit; ſed de pœnitentia *Amiſſi*, quòd per lachrymas amiſſam, & à fratre præreptam, benedictionem recuperare non potuerit. Seu, quod eódem redit, non loquitur de pœnitentia *ſua*, qua doleret ob peccata ſua, quam invenire ſanè potuit, ſed de pœnitentia *Patris*, quam invenire non potuit; eò quòd Pater, nullis precibus aut lachrymis poterat adduci, ut benedictionem, in Jacobum collatam, revocaret. Verba enim integrè ſic habent: *Scitis, quòd Eſau,*

qui unico edulio permutavit ſuum jus primogenitu, cum poſtea vellet hæreditario jure benedictionem aſſequi, reprobatus ſit: non enim reperit pœnitentiæ locum, tametſi cum lacrymis quæſiviſſet eam. Idemque teſtatur hiſtoria, *Gen. 27. v. 34. 35. 36. 37. 38.* deſcripta, è qua verba iſta ſunt exponenda.

LXXXI.

III. *Quia* Deus, ex iſtorum ſententia, Eſavum ſine omni ſuo merito damnationi æternæ adjudicâſſet. *ἀσεβὲς γὰρ καὶ ἀθέλογον.* *Qui enim*, ut loquitur *Auguſtinus*, & infrà fuſiùs dicetur, *miſereatur gratuito dono, non obdurat niſi juſtiſſimo merito: Et qui dilexit Iacob,* quod idem in Enchirid. ſcribit, *per gratuitam miſericordiam, Eſau odio habuit per debitum judicium.* *Conſequentia* probatur. Quia, quod Apoſtolus *v. 11.* affirmat de fratribus iſtis, quorum unus tantùm fuerit electus, antequam quicquam boni vel mali feciſſent, hoc ipſi ita intelligunt, quaſi Eſavus abſolutè, citra omnem peccati & mali meriti reſpectum, æterno Dei decreto fuerit reprobatus.

LXXXII.

Quis igitur, *inquis*, eſt Vocabulorum iſtorum, *Dilectionis & Odij*, ſignificatus? Ταῦτα γὰρ, inquit Athanaſius, *ἀνθρωποπαθῶς μὲν λέγονται, θεοπρεπῶς δὲ νοοῦνται.* Id eſt: *Iſta enim homini convenienter dicuntur, at Deo decenter intelliguntur.* Scilicet, affectus tribuuntur Deo & intelliguntur effectus.

LXXXIII.

En verba oraculi, ab Apoſtolo *ἀμέσως* præmiſ-

sa. v. 12. *Maior serviet minori.* En verba Isaaci, benedicentis Jacobo, *Gen. 27. v. 29. Serviant tibi populi, & adorent te tribus. esto Dominus fratrum tuorum, & incurventur ante te filij matris tuæ: qui maledixerit tibi, sit maledictus: Et qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur.* En verba ejusdem, ad Esavum ibid. *v. 37.* dicentis: *Dominum tuum illum constitui, & omnes fratres eius servituti illius subjugavi*; Et v. 40. *Vives in gladio tuo, & fratri tuo servies.* En verba apud Malachiam versu eod. 13. ἀμέσως sequentia: *Esau autem odio habui, & posui Seir montes eius in solitudinem, & hæreditatem eius in desertum draconis.*

LXXXIV.

Clarum est ex istis, per *Dilectionem* illam, qua Deus dilexit Jacobum, χρηστῶς hoc in loco significari Propositum illud Dei, quo Iacobum antefonebat Esavo, ceu Dominum servo; & è contra per *Odium* illud, quo prosecutus est Esavum, χρηστῶς significari Propositum Dei, quo Esavum posthabebat, postponebat & subiiciebat Isaaco, ceu servum Domino. Cujusmodi verò posthabitionem seu neglectionem *Odium* in Scriptura S. dici, multa illius testificantur exempla. Insigne est illud in *Psal. 78. v. 67. 68. Et repulit* (Deus) *tabernaculum Ioseph, & tribum Ephraim non elegit, sed elegit tribum Iuda.* Vide alia, *Prov. 13. v. 24. Luc. 14. v. 26. Luc. 16. v. 13. Ioh. 12. v. 25.*

LXXXV.

Nec obstat, quòd vel *Dilectio* illa Dei, Propo-

situm

situm secundum *Electionem* ab Apostolo *v. 11.* nuncupatur, vel *Odium* illud Dei contra Esavum ejusúe posteritatem, ita explicatur *v. 30.* ut quæ sit *populus, cui iraſcitur Dominus usque in æternum.* Siquidem non omnis Electio Dei illico est electio ad vitam æternam: ut non solùm patet è verbis *Psalmi 38.* proximè allegatis, sed etiam ex hac ipsa populi Judaici, de qua Apostolus hîc agit, Rejectione: de cuius *populi electione* passim in scriptura legimus. *Deut. 4. v. 27. Deut. 7. v. 6. 7. Deut. 26. v. 18. 1. Reg. 3. v. 8. Psal. 135. v. 4. Ezech. 20. v. 5. Zach. 2. v. 12.* Item ex electione, quæ sit ad *officium* De qua vide *Num. 1. v. 7. Num. 17. v. 5. Deut. 17. v. 15. Deut. 21. v. 5. 1. Sam. 2. v. 28. 2. Sam. 8. v. 21. 2. Sam. 11. v. 32. 34. 1. Paral. 28. v. 4. 5. 10. Psal. 105. v. 26. Luc. 6. v. 13. Ioh. 6. v. 70.*

LXXXVI.

Nec omne id, cui iraſcitur Dominus in æternum, illico in æternum æternæ damnationi est addictum. Quod si ita esset, in ventos abirent Prophetarum vaticinia de vocatione Idumæorum ad regnum Messiæ. *Esa. 11. v. 14. Amos 9. v. 11. 12.* Loquitur verò Dominus de ira exitii temporalis perpetui, quo, attestante *Obadia*, Idumæa penitus devastanda erat: quod æternum fore affirmat, eò quòd Idumæi, è suis sedibus ejecti, nunquam redituri essent. Id enim Deus vult cõsiderari à populo suo tam ingrato, ut agnoscat, Deũ, etsi captivum duci permiserit, non tamen ita abjeciſſe, quin in terrã suam & ad cultum Dei verum reduxerit.

Tan-

LXXXVII.

Tantum de *Assumpti* puncto *priori*: restat *posterius*, *Quòd Deus secundum propositum liberrimæ suæ electionis & gratiæ erga Iacobum, Esavum Iacobo postposuerit.* Cujus probatio sub tale Disjunctum cadit:

LXXXVIII.

Aut Deus postposuit Esavum Iacobo, secundum aliquod nativitatis eorum discrimen, aut secundum operum differentiam, aut secundum liberrimæ suæ electionis & gratiæ propositum.

At neque secundum aliquod nativitatis eorum discrimen: neq; secundum operum differentiam.

Ergo secundum liberrimæ suæ electionis & gratiæ propositum.

LXXXIX.

Propositio disiuncta nihil habet controversiæ, præsertim ex hypothesi Judæorum. Quò minùs enim Deo constaret voluntatis suæ impræpedita libertas, duo ista objiciebantur à Judæis: *Unum*, quòd dictitabant: *Semen Abrahæ sumus.* Joh. 8. v. 33. *Alterum*, quòd jactitabant: *Nos portavimus pondus diei & æstum.* Matth. 20. v. 11.

XC.

Τὸ μεῖζον ἐλαχιζόμενον continetur in *v. 10. & 11.* Quorum prior ita habet: *Non solùm autem hoc: sed & Rebecca ex uno conceperat Isaac, patre nostro:* Quo negat, secundum aliquod nativitatis discrimen Esavum Jacobo postpositum fuisse: Et docet, excepto ordine nascendi, reliqua fuisse paria.

Quip-

Quippe, si requiras patrem, pater utriusq; erat idem Isaacus. Si scire velis matrem, mater utriusque erat eadem Rebecca. Ut hîc locus non sit illi, quod contra exemplum Isaaci & Ismaelis potuisset excipi: quorum uterq; eundem habebat patrem Abrahamum, sed non eandem matrem; ille Saram iste Hagarem. Si cogites de concubitu, κόιτη erat eadem. Si de matris partu, erant gemelli, qui, loquendo ἐν πλάτει, tempore nascebantur eodem. Quòd verò, quoad nascendi ordinem, Esavus in lucem edebatur ante Jacobum, erat hæc prærogativa Esavi, quamobrem Jacobo præficiendus videbatur; non verò erat ratio, quamobrem Iacobo postponendus erat.

XCII.

Audiamus hac de re *Augustinum*, cujus verba in Epist. ad Sixtum Presbyterum ita habent: *Quò pertinuit, ut adderet ex uno concubitu, nisi ut non solùm de suis, neq; parentum meritis aliorum, sed nec de ipsius quidem unius patris mutata fortè in melius voluntate gloriaretur Iacob, dicens, ideo se à creatore dilectum, quia pater eius, quando enim seminavit, melioribus laudabilior moribus fuit: Ex uno* (inquit) *concubitu unum tunc ad eos seminandos meritum patris, unum ad concipiendos meritum matris, quia & si mater eos donec pareret visceribus portavit inclusos, & forte voluntates affectionesq; variavit, non uni sed ambobus utiq; variavit, quos pariter ventre portavit.* Item in lib. ad Simplicia-

num

num Episcop. *Vigilantissime ait, Ex uno concubitu. Gemini enim concepti erant, ne vel paternis meritis tribueretur, si quisquam forte diceret, ideo talis natus est filius, quia pater erat ita affectus illo in tempore, cum sevit in utero matris, aut erat ita mater affecta, cum illum concepit. Simul enim ambo sunt uno tempore concepti.* Item in tract. 11. in Evang. Iohannis: *Istos duos genuit Rebecca, Iacob & Esau. Vnus inde eligitur, alius improbatur. Vnus succedit in hæreditatem, alter exhæredatur. Non facit populum suum Deus de Esau, sed facit de Iacob. Semen unum, diversi qui concepti sunt. Vterus unus, diversi qui nati sunt. Nunquid non libera peperit Iacob, quæ libera peperit Esau? Luctabantur in utero matris suæ, & dictum est Rebeccæ, cum ibi luctarentur, Duo populi sunt in utero tuo: Duo homines, duo populi, bonus populus, malus populus, sed tamen in uno ventre luctantur.*

XCIII.

Quòd verò neq; secundum operum differentiam Esavus Iacobo fuerit postpositus, ostendit in sequente *versic. 11.* ubi docet, *pueris illis nondum natis, cum neq; boni quippiam fecissent, neque mali, dictum fuisse Matri: Major serviet minori.*

XCIV.

Atque is *genuinus* est verborum istorum sensus. Quo omisso, proclivis in errorem est digressio. Documentum præbent diversæ diversorum sententiæ, qui è Iacobo & Esavo vel germana *exẽpla*, vel, mystico sensui indulgendo, *typos* faciunt

eorum, qui æterno DEI decreto vel ad salutem sunt prædestinati, vel ad exitium sunt reprobati.

XCV.

Primò enim quidam sola opera præterita excludi putant, non autem opera futura, eorumúe considerationem. Itaque verba illa referunt tantùm ad decreti divini æternitatem, de quâ Chrysostomus homil. 16. in Epist. ad Roman. scribit: *non expectat DEVS ab exitu rerum videre, quisnam bonus sit, quisnam malus, sed etiam antea novit:* ac si Apostolus voluerit illis docere, DEUM non tum demum facere decretum Electionis aut Reprobationis, quando hominum opera bona vel mala jam sunt perpetrata, sed facere illud ab æterno, antequam quicquam boni vel mali ab illis sit gestum; non tamen quenquam elegisse, vel reprobasse, nisi propter opera vel bona, vel mala; quæ futura esse prævideat.

XCVI.

Huius farinę erant olim Pelagiani, quorum sententiam ita recitat *Augustinus* in lib. de prædest. sanct. cap. 18. *Præsciebat, ait Pelagianus, qui futuri essent sancti & immaculati per liberæ voluntatis arbitrium, & ideo eos ante mundi constitutionem in ipsa sua præscientia, qua tales esse futuros præscivit, elegit. Elegit ergo, inquit, antequam essent, prædestinans filios, quos futuros sanctos immaculatosq; præscivit: utiq; ipse non fecit, nec se facturum, sed illos facturos esse, prævidit.*

XCVII.

Eandem ſententiam idem idonea ratione refellit in Enchiridio ad Laurent. cap. 98. hiſce verbis: *Sentiens* (Apoſtolus) *quemadmodum poſſet hoc, quod dictũ eſt, permovere eos, qui penetrare intelligendo non poſſunt hanc altitudinẽ gratiæ, Quid ergo dicemus? ait: nunquid iniquitas eſt apud Deum? Abſit. Iniquum enim videtur, ut ſine ullis bonorum malorumúe operum meritis unum Deus diligat, oderitq; alterum. Qua in re ſi futura opera vel bona huius vel mali illius, quæ utiq; Deus præſciebat, vellet intelligi, nequaquam diceret, ex Operibus ſed ex futuris operibus: eoq; modo iſtam ſolveret quæſtionem, imò nullam, quam ſolvi opus eſſet, faceret quæſtionem.* Item in lib. de prædeſt. & grat. cap. 17. & 8. *Quòd ſi futuros eorum mores* (Jacob & Eſau) *dicitur divinum diſcreviſſe judicium, profectò illud evacuabitur, quod præmiſit Apoſtolus, Non ex operibus, &c.*

XCVIII.

Deinde quidam omnem operum conſiderationem putant excludi; ſive ſint præterita, ſive futura: ſivé de Electione ſit ſermo, ſive de Reprobatione. Statuunt autem, Deum abſolutè reprobâſſe, quos damnaturus erat, ſicut abſolutè elegerit, quos glorificaturus erat: eò quòd de gemellis, Jacobo & Eſavo, non tantùm ſit dictum, alterum fuiſſe dilectum, cum nondum aliquid boni feciſſent, ſed & alterum fuiſſe Deo inviſum, antequam aliquid mali feciſſent.

XCIX.

Flagi-

[*Thesin antecedentem proximam, quæ per hallucinantem metathesin incidit in locum nō suum, æquus lector litura sua inducat, aut pro non impressa habeat.*]

XCVIII.

Pelagianos deinde secuti sunt *Semipelagiani*, qui aliâs *Pelagianorum reliquiæ* dicuntur. Hi, sicut patet ex Epistolis *Prosperi & Aurelii Arelatensis* ad Augustinum, docebant, Fidem esse causam meritoriam prædestinationis, adeoque in naturali facultate liberi arbitrii penitus esse sitam. Distinguebant enim inter fidem & bona opera. Bona opera agnoscebant esse dona gratiæ, contra Pelagium: at fidem, & perseverantiam in fide, in viribus liberi arbitrii sitas esse, cum eodem Pelagio contendebant.

XCIX.

A quo errore ne quidem Augustinus aliquando fuit immunis. Ita enim scribit lib. 1. de baptis. parvul. *Vt iste credat, ille non credat, propriæ est voluntatis. Sed ut iste audiat, quod credat, ille non audiat: Hoc non est in hominis potestate.* Et postquam *in lib. Expositionis quarundam propositionum Epistolæ ad Romanos*, fidem causam electionis esse dixerat; *in lib. 2. Retract. cap. 23.* id corrigit, & scribit: *Illa non scripsissem, si fidem non minùs, quàm bona opera Dei donum esse intellexissem.* Nec solùm hoc modo correxit, sed & gravissimè refutavit *in lib. de prædestin. Sanctorum capp. 1. 2. 17. 19. 20. 21. Et in*

lib. de bono perſeverantiæ cap. 17. Itemq; *in Epiſtolis 105. 166.*

C.

Quò tendunt illius ſententiæ, quibus fidei præviſionem alicubi è decreto prædeſtinationis excludit. *Quærimus*, inquit, *meritum miſericordiæ, nec invenimus, quia nullum eſt: ne gratia evacuetur, ſi non gratis donatur, ſed meritis redditur. Si enim dixerimus fidem præceſſiſſe, in qua eſſet meritum gratiæ, quid meriti habebat homo ante fidem, ut acciperet fidem? Quid enim habet, quod non accepit? Si autem accepit, quid gloriatur, quaſi non acceperit? Sicut non haberet homo ſapientiam, intellectum, conſilium, fortitudinem, ſcientiam, pietatem, timorem Dei, niſi ſecundum Propheticum eloquium accepiſſet ſpiritum ſapientiæ & intellectus, conſilii & fortitudinis, ſcientiæ & pietatis, & timoris Dei, ſicut non haberet virtutem, charitatem, continentiam, niſi accepto ſpiritu, de quo dicit Apoſtolus: Non enim accepimus ſpiritum timoris, ſed virtutis & charitatis & continentiæ; ita non haberet fidem, niſi accepiſſet ſpiritum fidei.* Item ad Vitalem. *Vt in Deum credamus, & piè vivamus, non volentis neq; currentis, ſed miſerentis eſt Dei, non quia velle non debemus & currere, ſed quia ipſe in nobis & velle operatur & currere. Vnde & ipſe Dominus Ieſus credentes à non credentibus, id eſt, ab iræ vaſis vaſa miſericordiæ diſcernens, Nemo*, inquit, *venit ad me, niſi ei fuerit datum à Patre meo.*

Tertio quidam ita inter utrumque decretum dividunt, ut quidem prævisionem malorum operum decreto Reprobationis substernant; Electionem verò absolutè factam esse sentiant, sine ulla ullius conditionis in eligendo consideratione.

CII.

Ad quam sententiam propendêre videatur Augustinus. Ita enim scribit in Epist. ad Sixt. Presbyt. *Intentio intuenda est Apostoli, quomodo propter gratiam commendandam nolit eum, de quo dictum est, Iacob dilexi, nisi in Domino gloriari: ut cum ex eodem patre, eadem matre, uno concubitu, antequam aliquid egissent boni vel mali, alterum Deus diligit, alterum odit, intelligat Iacob ex ipsa massa originalis iniquitatis, ubi fratrem, cum quo habuit communem causam, videt per justitiam meruisse damnari, non nisi per gratiam se potuisse discerni.* Item in lib. ad Bonifac. contr. Pelagian. *Doctor gentium in fide & veritate istos geminos, nondum natos, nihil boni aut mali egisse testatur, ut gratia commendetur, ut quod dictum est, major serviet minori, non ex operibus, sed ex vocante dictum intelligatur, ut secundum electionem propositum Dei maneret, non meritum hominis anteiret. Non enim dicit electionem voluntatis humanæ sive naturæ, cum par esset in utroq; mortis damnationisq; conditio, sed electionem procul dubio gratiæ, quæ non invenit eligendos, sed fecit.*

CIII.

Quarto quidam omnem non solùm operum, sed etiam cujuscunque alterius conditionis, con-

sideratıonem putant excludi; sive sint præterita, sive futura: sive de Electione sit sermo, sive de Reprobatione. Statuunt autem, DEUM absolutè reprobâsse, quos damnaturus erat, sicut absolutè elegerit, quos glorificaturus erat: eò quod de gemellis, Jacobo & Esavo non tantùm sit dictum, alterum fuisse dilectum, cum nondum aliquid boni fecissent, sed & alterum fuisse DEO invisum, antequam aliquid mali fecissent.

CIV.

Prodigiosa opinio. Repugnat enim non solùm universæ Scripturæ S, quæ passim testificatur, Deum, ut hominis exitium, ita quoque illius exitii causàm, peccatum nolle: *Ezech. 18. v. 33. Ezech. 33. v. 11. 2. Pet 3. v. 9. 1. Tim. 2. v. 4. Act. 17. v. 30. 31. Rom. 2. v. 4. Apoc. 3. v. 20. Esa. 65. v 2 Esa. 59. v. 2. Ose. 13. v. 9. Matth. 23. v. 37.* Sed etiam ipsi naturali hominis de DEO notitiæ. Præsertim verò ab ista, in qua nunc versamur, Apostoli Disputatione plurimum abhorret: utpote in qua præter cætera Paulus id agit, ut doceat Judæos, non propter absolutum aliquod Dei decretum, sed propter suam incredulitatem esse abjectos.

CV.

Approbamus itaque illa Augustini, in lib. de persev. cap. 11. *Investigabilis est Dei misericordia, quia cujus vult miseretur, nullis ejus præcedentibus meritis, & investigabilis veritas (id est justitia) qua quem vult indurat, ejus quidem præcedentibus meritis, sed cum eo, cujus miseretur, plerumq; communibus*

nibus. Et Epist. 105. *Quibus Deus misericordiam non impertitur, ut non impertiatur merentur.* Epist. 106. *Si Deus quenquam immeritum damnaret, immunis ab iniquitate non creditur.* Lib. de prædest & grat. *Dic, quicunq; condemnaris, justus es Domine in omnibus, quæ fecisti nobis, & judicia tua omnia vera. In veritate enim & judicio omnia hæc superinduxisti propter peccata nostra.* Lib. 3. contra Julian. cap. 18. *Bonus est Deus, justus est Deus. Potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est: non potest quenquam sine malis meritis damnare, quia justus est.* Quibus adjunge illud Fulgentij lib. 1. ad Monimum: *Quia Deus peccata hominum præscientia vidit, sententiam prædestinationis dictavit.* Et rursus. *Qui ut non adiuventur à Deo, in ipsis causa est, non in Deo. Item* illud Prosperi ad Gallorum capitula: *Gratia Dei non priùs eos deservit, quam ab eis desereretur.*

CVI.

Quod verò attinet Verba Apostoli, quæ ab illis solent occini, Enthymemate proposito tali: *Esavus, remota omni consideratione meritorum, Deo fuit exosus: Ergo qui damnantur, remota omni meritorum consideratione, ab æterno sunt reprobati:* respondet Augustinus ad *Antecedens*, distinguendo inter meritum seu peccatum operis, & inter meritum seu peccatum originis. De peccato operis Antecedens concedit: de peccato originis non item.

CVII.

Ita enim scribit in Epist. ad Sixt. Presbyt. *Apostolus testimonium prophetiæ longe posterioris assumpsit: Iacob dilexi, Esau autem odio habui. Vt intelligeretur hoc apertum postea per Prophetam quod antequam illi nascerentur erat in Dei præde-stinatione per gratiam. Quid enim diligebat in Iacob, antequam natus fecisset aliquid boni, nisi gratuitum gratiæ suæ donum? Et quid oderat in Esau, antequam natus fecisset aliquid boni vel mali, nisi originale peccatum? Nam nec in illo diligeret iustitiam, quam nullam ille fecerat, neq; odisset in isto naturam, quam bonam ipse fecerat.* Et in Enchiridio ad Laurent. *Ambo itaq; gemini naturâ filij iræ nascebantur, nullis quidem operibus propriis, sed originaliter ex Adam vinculo damnationis obstricti. Sed qui dixit, Miserebor cui misertus ero, Iacob dilexit per misericordiam gratuitam, Esau autem odio habuit per judicium debitum. Quod cum deberetur ambobus, in altero alter agnovit, non de suis distantibus meritis sibi esse gloriandum, quod in eadem causa idem supplicium non incurrit, sed de divinæ gratiæ largitate, quia non volentis, neq; currentis, sed miserentis est Dei.*

CVIII.

Vbi & illud considerandũ, quod lib. 1. ad Simplic. qu. 2. prodidit: *Noluit ergo Esau, & nõ cucurrit. Sed & si voluisset & cucurrisset, Dei adiutorio peruenisset, qui etiam velle & currere vocando præstaret, nisi vocatione cõtempta reprobus fieret.* Item:

Non odit Deus Esau hominem, sed odit Deus Esau peccatorem.

CIX.

Alii negant *Consequentiam*, & dicunt, verba illa non ad Esavi reprobationem, sed ad solam Jacobi electionem esse referenda. Versari enim Apostolum in commendatione gratiæ: nec facere mentionem Esavi, nisi occasione Prophetiæ, è Malachia propositæ, in qua Jacobus & Esavus conjunguntur.

CX.

Sed & aliter ostendi potest, quàm vitiosa sit illa. Aut enim putant, Esavum, quem oderat Deus, ab Apostolo adduci, ut germanum *exemplum* Reproborum, ad explanandum decretum Reprobationis æternæ; aut ut *typum* duntaxat.

CXI.

Prius nulla idonea ratione probari potest. Etenim præterquam, quòd nondum est planum, An Esavus sit unus de numero Reproborum, illud prorsus est frivolum, adduci eum ad explicandum negocium Reprobationis æternæ. Adducitur pro exemplo, ad demonstrandum, quòd Deus suis, quas elargitur, prærogativis non teneatur: quod patet è textu. At pro exemplo Reprobationis æternæ non adducitur: de qua Apostolo κυρίως hîc non est institutus sermo.

CXII.

Posterius, ut habeatur pro *typo*, facilius est concedendum. Constat enim, in multis Scripturæ

dictis, duplicem esse sensum: Unum *literalem* & genuinum; alterum *allegoricum*, mysticum seu spiritualem. Ac proinde benè scripserit Augustinus lib. 16. de civ. Dei cap. 35. *in aliquid majus intentam fuisse istam prophetiam, qua dictum est: Major serviet minori.*

CXIII.

Sed cautio est: 1. E sensu allegorico, ut docet *Hieronymus in comment. in cap. 13. Matth.* non duci argumenta ἀποδεικτικὰ. 2. In quærendo typi alicujus antitypo non esse longiùs à scopo proponentis typum deflectendum. 3. In applicatione typi ad ἀντίτυπον, quæ nihil aliud est, quam explicatio analogiæ, seu similitudinis, quæ inter utrumque vertitur, omnes partes non esse urgendas: satis esse, si κατά τι inter se congruant.

CXIV.

Quod cum ita sit, apparet, quàm imbecille sit Enthymema propositum. *Primùm* enim petitum est illud è sensu mystico; cum è solo literali efficacia argumenta nascantur. *Deinde* à scopo Apostoli longiusculè recedit. Etsi enim alicubi æternæ Electionis mentionem ille facit, ut in *cap. 11. v. 5. 7. 28.* attamen ex instituto, præsertim in hoc capite nono, de illa Electione aut Reprobatione, non disserit: sed de Rejectione Judæorum, facta in tempore. Cujus typum fuisse Esavum, ut Jacobum assumptionis Gentium, facilè largimur. *Denique* è typo per applicationem, quæ κατά τι aliâs admitti possit, colligitur illud, quod non solùm præ-

senti loco, sed etiam universæ Scripturæ S. repugnat.

CXV.

Atque istæ sunt quatuor diversæ sententiæ eorum, qui verba Apostoli de Jacobo & Esavo, in thesi 93. commemorata, perperam acceperunt. Quibus jam opponamus sententiam eorum, qui *orthodoxè* sapiunt: Qui neminem vel ob prævisa merita operum aut fidei, vel absolutè eligi docent: nedum ut absolutè aliquem reprobari sentiant.

CXVI.

Incedentes autem via media, contra Pelagianos & Semipelagianos prævisionem operum, & fidei meritorię excludunt; & è diverso contra eos, qui absolutum decretum cudunt, afferunt conditionem fidei: sed longè alio modo, quàm à Semipelagianis est factum.

CXVII.

Non enim à liberi arbitrii viribus eam suspendunt: sed amplectuntur sentẽtiam Concilii Arausicani, in quo istæ Pelagianismi reliquiæ sunt explosæ, qua asseritur: *Neminem posse credere, aut perseverare sine divinæ gratiæ auxilio.* Id quod S. Scripturæ est consentaneum. Juxta illud: *Phil. 1. v. 29. Vobis donatum est pro Christo non solùm ut in eum credatis, verùm etiam ut pro illo patiamini.* Quo de loco Augustinus *lib. 1. de bono perseverantiæ cap. 2.* prodidit: *Horum unum pertinet ad initium, alterum ad finem.* Vide item *Ioh. 6. v. 29 Ioh. 15. v. 5. Rom. 9. v. 16. 1. Cor. 4. v. 7. 2. Thess. 3. v. 2 3. 2. Pet. 1. v. 1. 1. Ioh. 5. v. 20.*

CXVIII.

Nec consíderant eam, prout est virtus, opus & χάρισμα in homine, quod hominem imbuit, sed quâ Christum, unicam & veram meritoriam nostræ salutis causam, amplexatur & prehensat. Quæ ratione adeo non est meritoria causa salutis & prædestinationis, ut subinde ab Apostolo bonis operibus aut meritis velut è diametro opponatur: gratiæ verò ac misericordiæ divinæ ὑπαλλήλως supponatur. Juxta illud *Eph. 2. v. 8. & 9. Gratia estis servati, per fidem: Idq; non ex vobis, Dei donum est. Non ex operibus, ne quis glorietur.*

CXIX.

Itaque non dicunt, nos electos esse propter fidem; quasi fides prævisa sit causa electionis, aut nos electi simus ob fidei dignitatem & meritum: sed in fide; quò significetur conditio, quam Deus eligens ex gratia in homine eligendo prævidet & requirit. Et quod dicunt, è SS. literarum fundamento apertè demonstrant.

CXX.

Ante omnia enim Scriptura disertè ita loquitur *2. Thess. 2. v. 13. Nos debemus gratias agere* Deo *semper de vobis, fratres dilecti à Domino, quòd elegerit vos Deus ab initio in salutem, per sanctificationem spiritus ac fidem veritatis.* Jac. 2. v. 5. *Nonne Deus elegit pauperes mundi hujus, divites in fide, & hæredes regni quod promisit ijs, à quibus dilectus fuerit?* 1. Pet. 1. v. 2. *Dilectis juxta præfinitionem Dei Patris, per sanctificationem Spiritus, in obedientiam*

& asper-

& aſperſionem ſanguinis Ieſu Chriſti: gratia vobis & pax multiplicetur. Ubi per obedientiam intelligimus fidem, ſequentes ductum & nomenclaturam Scripturæ. *Act. 6. v. 7. Rom. 10. v. 16. 2. Theſſ. 1. v. 8. Rom. 1. v. 5. Rom. 16. v. 2. 2. Cor. 10. v. 5.* Indeq; fides dicitur *fides electorum Dei.* Tit. 1. v. 1.

CXXI.

Deinde verò eadem ſuppeditat *argumenta*, ab eximio & clariſſimo Theologo, *D. Balthaſare Mentzero*, fratre meo in Chriſto exoptatiſſimo, in inclyta

(*Quam fidei ſedem veræ, pietatis & artis,*
Mirifica ſtatuit proſperitate Deus:
Qui dabit, ut Princeps pius & caſtra omnia Muſis
Vivant jucundos Neſtoreosq; dies)

nova Academia Gieſſena inde propoſita. Quæ fermè ſunt talia:

I. Si gratia Dei eligentis eſt univerſalis, electio verò eſt particularis, ſequitur, electionem factam eſſe in fide Chriſti. Atqui gratia Dei eligentis eſt univerſalis: ſicuti paulo pòſt demonſtrabitur: Electio verò eſt particularis. *Matth. 20. v. 16. Matt. 24. v. 24. Rom. 8. v. 30.* Ergo &c. *Conſecutio* probatur: Aut enim reſtringitur illa univerſalis gratia ad particularem effectum per hominum eligendorum fidem, aut per opera. At non per opera. Hæc enim Dei miſericordiæ opponuntur. Juxta illud Rom. 11. v. 5. 6. *Reliquiæ ſecundum electionem gratiæ fuerunt. Quòd ſi per gratiam, non jam ex operibus: quandoquidem gratia, jam non eſt*

gratia. Sin ex operibus iam non est gratia, quand quidem opus iam non est opus. Ergo per fidem.

CXXII.

II. Si electio facta est secundum præscientiam, sequitur, factam illam esse in fide CHRISTI. At prius verum. Juxta illa. Rom. 8 v. 29. *Quos præsciverat, eosdem & præsinivit, ut sint conformes imaginis filij sui, ut ipse sit primogenitus inter multos fratres.* Rom. 11. v. 2. *Non repulit Deus populum suum, quem antè agnoverat.* Indeque prædestinari à Petro *1. Ep. 1. v. 2.* dicuntur ἐκλεκτοὶ κατὰ πρόγνωσιν. Ergo & posterius. *Consecutio* probatur: Quia aut facta est secundum præscientiam peccatorum: aut secundum præscientiam meritorum: aut secundum præscientiam fidei. At non secundum præscientiam peccatorum. *Peccaverunt enim omnes. Rom. 3. v. 23.* nec tamen omnes sunt electi. Nec secundum præscientiam meritorum Tum enim electio non esset merè gratuita. Ergo secundum præscientiam fidei.

CXXIII.

III. Si electio facta est in Christo, sequitur illam factam esse in fide Christi. At prius verum. Juxta illud Eph. 1. v. 4. *Elegit nos in Christo antequam jacerentur fundamenta mundi* Ergo & posterius. *Consecutio* probatur: Quia in Christo non sumus nisi per fidem. Unde Theophylactus in allegatum locum: *Elegit nos per ipsum, hoc est, per fidem in ipsum.* Et ante illum Chrysostomus: *Quid est, elegit nos in ipso? Per fidem, quæ in ipsum esset, istud*

Chri-

Christus, antequam nascerèmur, disposuit, imo priusquam orbis fundamenta jacerentur.

CXXIV.

IV. Si Deus, quos eligit, eligendo in filios adoptat. sequitur, Electionem factam esse in fide Christi. Antecedens est verum: juxta illud *Ephes. 1. v. 5. 6. Prædestinavit nos, ut adoptaret in filios per Iesum Christum in sese, juxta beneplacitum voluntatis suæ. Vt laudetur gloria gratiæ suæ, qua charos reddidit nos per illum dilectũ.* Verum igitur & Consequens. *Consecutio* probatur: Quia quos adoptat, per Christum adoptat, *Eph. 1. v. 5. 2. Tim. 1. v. 9.* Ideóque & per fidem: juxta illud *Ioh. 1. v. 12. Quotquot receperunt eum, dedit eis ut liceret filios Dei fieri, videlicet his, qui credunt in nomen ipsius.*

CXXV.

V. Si hæc est æterna Dei voluntas, qua vult salvos facere credentes in Christum, sequitur, Electionem factam esse in fide Christi. Antecedens verum. Juxta illa: *Ioh. 6. v. 40. Hæc est voluntas eius, qui misit me, Patris, ne quid perdam ex omnibus, quæ dedit mihi, sed resuscitem illa in novissimo die.* 1. Cor. 1. v. 21. *Visum est DEO per stultitiam prædicationis salvos facere credentes.* 1. *Tim. 1. v. 16. Ideo misericordiam sum adeptus, ut in me primò ostenderet Iesus Christus omnem clementiam, ad exprimendum exemplar ijs, qui crediturí essent in ipso in vitam æternam.* Verum igitur & Consequens. *Consecutio* probatur: Quia ista voluntas Dei, quæ id, quod intendit, certissimo eventu assequitur,

ab

ab electionis decreto non differt, adeoque est definitio ejus.

CXXVI.

VI. Si mysterium Electionis divinæ manifestatum est per Evangelium, sequitur, Electionem factam esse in fide Christi. At prius: juxta illud *Eph. 1. v. 8. 9. De gratia sua ubertim nobis impartivit in omni sapientia & prudentia: Patefacto nobis arcano voluntatis suæ, iuxta beneplacitum suum, quod proposuerat in se ipso.* Ubi sanè per arcanum voluntatis Dei, quod juxta beneplacitum suum proposuit in semetipso, nihil aliud, quàm mysterium Electionis divinæ, de qua Apostolus ibi disserat intelligi potest. *Ergo* & posterius. *Consecutio* probatur: cum quia mysterium & manifestatio mysterii interse congruere necesse est, ne Deus, qui fidelis est in omnibus, *Psal. 145. v. 13.* aliud corde clausum, aliud lingua promptum dicatur habere; tum quia manifestatio illa conditionem fidei manifestè flagitat & includit. Juxta illud: *Matth. 16. v. 16. Ioh. 3. v. 36. Omnis qui credit in eum, habebit vitam æternam.*

CXXVII.

VII. Si Deus ita ab æterno decrevit salvare hominem, quomodo eum in tempore salvat, sequitur, Electionem factam esse in fide Christi. At verum prius. Juxta illud. *2. Tim. 1. v. 9. 10. Salvos fecit nos, & vocavit vocatione sancta: non secundum opera nostra, sed secundum suum propositum & gratiam, quæ data quidem est nobis per Christum Iesum*

ante tempora æterna; sed palam facta est nunc per apparitionem servatoris nostri Iesu Christi, qui mortem quidem abolevit, vitam autem in lucem produxit as immortalitatem per Evangelium. Necesse enim est, decretum & executionem decreti inter se convenire. Indeque qualis est executio, tale est decretum: Et vicissim. Vide *Augustin. de bono persever. cap. 23. & Fulgent. de Incarnat. & gratia cap. ult.* Ergo & posterius. *Consecutio* probatur: Quia Deus, quos in tempore salvat, hos non nisi per fidem salvat. Juxta illa: *Ioh. 3. v. 14. 15. & v. 36. Marc. 16. v. 16. Ioh. 6. v. 24.*

CXXVIII.

VIII. Si facta est Electio sine fide Christi, sequitur, Deum non posse, tueri justitiæ suæ laudem. At hoc non. Ergo nec illud. *Consecutio* probatur: Quia peccator, salvâ justitiâ DEI, non potest recipi in gratiam, nisi interventu satisfactionis Christi. Juxta illud: *Iohan. 14. v. 6. Ego sum Via & Veritas & Vita, nemo venit ad Patrem nisi per me.* Secus nihil fuisset opus incarnatione. Satisfactio verò Christi nemini prodest, nisi credenti.

CXXIX.

Utlibet igitur excludantur opera ex Electionis decreto per illa Apostoli verba: *antequam quicquam boni vel mali egissent*: adeoq; etiam ipsa fides, ne sit Electionis causa meritoria: non tamen excluditur fides, quâ apprehendit Christum, in quo facta est Electio. Id quod etiam Augustinus alicubi agnoscit.

Hæc

CXXX.

Hæc enim ſunt verba eius in lib. 2. de bono perſever. cap. 14. *An quiſquam dicere audebit, Deum non præſciſſe, quibus eſſet daturus, ut crederent? Aut quos daturus eſſet filio ſuo, ut ex eis non perderet quenquam? Quæ utiq; ſi præſcivit, profectò beneficia ſua, quibus nos dignatur liberare, præſcivit. Hæc prædeſtinatio ſanctorum nihil aliud eſt, quàm præſcientia ſcilicet & præparatio beneficiorum Dei, quibus certiſſimè liberantur, quicunq; liberantur.* Item Tract. 42. in Joh. *Quòd ergo ait Dominus, Qui eſt ex Deo, verba Dei audit, propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis: non naturarum merita diſcrevit, aut præter ſuam animam & carnem aliquam naturam in hominibus, quæ peccato vitiata non eſſet, invenit: ſed quoniam præſcierat, qui fuerant credituri, ipſos dixit ex Deo, quoniam regenerationis adoptione renaſcerentur ex DEO.* Item Serm. 7. de Verb. Domini: *Quid eſt, quod dicit Reliqui mihi ſeptem millia? Ego illos elegi, quia videntes eorum de me præſumentes, non de ſe, nec de Baal. Non ſunt mutati, ſic ſunt, ut à me facti ſunt.* Adde illud Fulgentii lib. 1. ad Monim: *Prædeſtinavit ad regnum, quos ad ſe præſcivit miſericordiæ prævenientis auxilio redituros, & in ſe miſericordiæ ſubſequentis auxilio manſuros.*

CXXXI.

Sed ſatis de illo, *Quòd neq; ſecundum operum differentiam Eſavus Iacobo fuerit poſtpoſitus:* Reliquum jam eſt, ut concludamus: Ergo Deus poſt-

posuit Esavum Jacobo secundum propositum liberrima suæ Electionis, & gratiæ erga Jacobum.

CXXXII.

Quæ *Conclusio* extat in hisce verbis, *v.11. & 12. Ut secundum electionem propositum Dei maneret: non ex operibus, sed ex vocante dictum est illi, Major serviet minori.* Ubi Propositum secundum electionem nihil aliud est, quàm propositum Dei liberè eligendi, quo, posthabito Esavo, liberè elegit & ad primogenituram vocavit Jacobum.

CXXXIII.

Nam præpositio κατὰ, non est hîc nota causæ, quasi Propositum sit effectus Electionis; sed potius effecti seu objecti: perinde ac si dictum sit: Propositum Electionis. Quod obvium est ex iis, quæ de prædestinatione dicuntur: *Ephes.1.v.5.9. Rom.8.v.28. 2.Tim.1.v.9.*

CXXXIV:

Nec obstat, quòd Electio illa per se non sit causa postpositionis Esavi: de qua dictum est: Major serviet minori. Est enim electio per se actus voluntatis non aversæ, sed propitiæ. Veruntamen quia Jacobus non poterat Esavo anteponi, nisi postponeretur Esavus Jacobo, utrunque permixtim ad Electionem vocantis Dei refertur.

CXXXV.

Hucusque de *Responsione* Apostoli ad objectas *Prærogativas*; quibus Deum teneri negat. Veniendum nunc ad *Prolepses* seu *Occupationes*, per quas altiùs exurgit, & liberrimam potestatem Dei etiam in

am in operibus gratuitæ misericordiæ in salutis negocio, demonstrat.

PROLEPSIS PRIOR.

CXXXVI.

Sunt verò *Occupatiooes* istæ *duæ*: quarum prior est gradus ad posteriorem; & ipsa emergit ex iis, quæ superiùs dicta erant. Quia enim Apostolus affirmârat, Jacobum dilectum, Esavum odio fuisse habitum, antequam boni aut mali quicquam fecissent, hoc est, nulla habita ratione meritorum, sive bonorum sive malorum, ut ostenderet, Deum nullis prærogativis, quas populo Judaico dedisset, teneri, quo minus eundem abjicere possit: videbat Apostolus, contra istam assertionem suam posse adduci justitiam Dei, quam integram & illibatam servari omnino necesse sit.

CXXXVII.

Itaque *cum rem*, inquit Augustinus in Epist. ad Sixt. presbyt. *stupendam proposuisset, quomodo de nondum natis, nec aliquid agentibus boni aut mali, rectè dici potuerit, quòd unum Deus dilexerit, alterum odio habuerit, ipse sibi obiecta quæstione, motum exprimens auditoris inquit: Quid ergo dicemus: nunquid iniquitas est apud Deum? v. 14.* Quæ verba, dialogismo Rhetorico, quem *Communicationem* vocant recentiores, illustrata, tale præ se ferunt *argumentum*.

CXXXVIII.

Si Deus, nulla habita ratione meritorum, sive

bono-

bonorum sive malorum, postgenitum Iacobum proposuit Esavo primogenito, sequitur, Deum esse iniustum.

Consequens est absurdum.

Ergo & Antecedens.

CXXXIX.

Connexum apparet inde: Aut enim Esavus, quia major erat, præ Jacobo diligendus & præponendus erat; aut, si DEUS istam prærogativam πρωτογεννήσεως in nullo numero habere voluit, saltem non erat odio habendus: sed ambos fecisset pares. Ubi verò Regula justitiæ exigit, *ut paribus tribuantur paria. Assumptum* per se manifestum est. Non enim S. Scriptura tantùm clamat, DEUM esse justissimum: *Gen. 18. v. 25 Deut. 32. v. 4. 2. Par. 6. v. 23. 2. Par. 19. v. 7. Iob. 34. v. 10. 11. 12. Iob. 36. v. 22. 23. Psal. 7. v. 12. Psal. 9. v. 8. 9. Psal. 11. v. 7. Psal. 67. v. 5. Psal. 96. v. 13. Psal. 98. v. 9. Psal. 145. v. 17. Esa. 11. v. 3. 4. Ier. 11. v. 20. Ier. 12. v. 1. Dan. 9. v. 14. Zeph. 3. v. 5. Rom. 2. v. 5. 6. Rom. 3. v. 4. 5. 6. 2. Tim. 4. v. 8. Apoc. 16. v. 5. Apoc. 19. v. 2.* sed id ipsum quoque naturalis ratio dictitat.

CXL.

At quid Apostolus ad ἀντίπαλον istud respondet? *Absit:* inquit. Hoc est, Negat *Consecutionem* in Connexo. *Rationem*, quamobrem neget, in *versie. 15. 16. 17. 18.* exponit. Quorum vis & συνέχεια ut planiùs appareat, Syllogismus, qui ἐλεγχτικῶς opponatur Connexo, esto talis:

CXLI.

Quicunque ex gratia indebita suscipit unum, ob merita sua rejecto altero, is non est iniustus.

Atqui Deus, anteponēs Iacobum Esavo, adeoq; in cōmuni, cū misereatur unius, indurato altero, ex gratia indebita suscipit unū, ob merita sua rejecto altero.

Ergo Deus, anteponens Iacobum Esavo, adeoq; in communi, cum misereatur unius, indurato altero; non est iniustus.

CXLII.

Propositio evadit perspicuâ, si *Canon* justitiæ, quo paribus paria jubentur reddi, rectè explicetur. Intelligendus enim est cum *exceptione* Gratiæ. Flagitat justitia, ut paribus tribuantur paria: siquidem rigorem suum obtinere velit: non autem si temperamentum gratiæ admittat. Quod ab illa sine labe admitti posse certum est. Nam iustitiâ non obstruit fontem misericordiæ, quò minùs rivuli eius deriventur in nos, qui nihil nisi pœnam commeriti eramus: Præsertim, si aliunde illi satisfiat. Nec fit iniuria, si è misericordia cōferatur uni, quod negatur alteri, cū è iustitia debeatur neutri.

CXLIII.

Homines, inquit Augustinus in Psal. 100. *quando judicant, aliquando victi misericordiâ faciunt contra iustitiam, & videtur in eis esse misericordia & non esse iudicium: aliquando verò rigidum volentes tenere iudicium, perdunt misericordiam. Deus autem nec in bonitate misericordiæ perdit iudicii severitatem, nec in iudicando cum severitate amittit misericordiæ bonitatem.*

Ideo

CXLIV.

Ideo enim & oramus & supplicamus Deo, ne agat nobiscum secundum iustitiam, sed secundum misericordiam suam. Juxta illa: Psal. 143. v. 2. *Non intres in iudicium cum servo tuo: quia non iustificabitur in conspectu tuo omnis vivens.* Psal. 130. v. 3. 4. *Si iniquitates observaveris, Domine: Domine, quis sustinebit? Quia apud te propitiatio est: & propter legem tuam, sustinui te, Domine.* Psal. 25. v. 7. *Delicta iuventutis meæ & ignorantias meas ne memineris. Secundum misericordiam memento mei tu, propter bonitatem tuam, Domine.* Dan. 9. v. 18. *Non in iustitiis nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis.*

CXLV.

Quod dicimus, planum reddet *parabola* de operariis in vinea, *Matth.* 20. descripta. His enim, qui totius diei laborem exantlaran:, videbatur iniquum, tantundem mercedis pendi alteris, qui vix unius horæ operam fecissent: At quid paterfamilias? aut quomodo istius iniustitiæ culpam amolitur? *Amice*, inquit, *non facio tibi iniuriam: nonne denario pactus es mecum? Tolle, quod tuum est, & abi. Volo autem huic novissimo dare sicut & tibi. An non licet mihi, quod volo, facere in rebus meis? An oculus tuus malus est, quòd ego bonus sum.*

CXLVI.

Unde Augustinus in lib. de bona perseverantiæ scribit: *Quantum ad iustitiam spectat & gratiam, potest & de reo, qui liberatur, recte dici, & de*

reo qui damnatur, Tolle quod tuum est & vade, huic autem volo, quod non debetur, donare. An non licet mihi facere quod volo? An oculus tuus nequam est, quia ego bonus sum? Hic ille si dicit, cur non & mihi? meritò audiet, homo tu quis es, qui respondeas Deo? quem certè in uno vestrum benignissimum largitorem, in te verò exactorem iustissimum, in nullo tamen cernis iniustum. Cum iustus esset, etiam si utrumq; puniret, qui liberatur, habet unde gratias agat; qui damnatur, non habet, quod reprehendat.
Item cap. 8. *Qui liberatur gratiam diligat, qui non liberatur debitum agnoscat.*

CXLVII.

Similia sunt ista: cum scribit in Enchridio ad Laurent. *Quis, nisi insipiens, Deum iniquum putet, sive iudicium pœnale ingerat digno, sive misericordiam præstet indigno.* Item: *In quo non fit misericordia, non iniquitas fit, sed iudicium.* Item in serm. de verbis Apostoli: *Latere te æquitas potest, esse ibi iniquitas non potest.* Item in lib. sententiarum Prosperi: *Non est iniquitas apud Deum, quia neque remittendo, neq; exigendo, quod debetur, iniustus est. Et ibi gratuita est indulgentia, ubi iusta posset esse vindicta.* Item in lib. de bono persever. *Dando quibusdam quod non merentur, profecto gratuitam & per hoc veram suam esse gratiam voluit. Non omnibus dando, quid omnes merentur ostendit. Bonus in beneficio certorum, iustus in supplicio certorum. Et bonus in omnibus, quoniam bonum est, cum debitum redditur: & iustus in omnibus,*

bus, quoniam iustum est, cum debitum sine cuiusquam fraude donatur. Item lib. 1. ad Simplicianum 2. *Nunquid iniquitas est apud Deum exigentem à quo placet, donantem cui placet: Qui nequaquam exigit indebitum, nequaquam donat alienum.*

CXLVIII.

Assumptio, quòd *Deus præscienis Iacobum Esavo, adeoq; in communi, cum misereretur unius, indurato altero, è gratia indebita suscipiat unum, reiecto altero*, approbatur tali Hypothetico:

Si Deus habet absolutam potestatem miserendi, cuius vult, & indurandi, quem vult, sequitur Deum, quando Iacobum Esavo anteponit, adeoq; in communi cum suscipit unum, indurato altero, è gratia indebita suscipere unum, rejecto altero.

Antecedens est verum.

Verum igitur & Consequens.

CXLIX.

Connexum suapte luce radiat. Nam absoluta illa *potestas* miserendi cuius velit, & indurandi quem velit, & *indebita* gratia ad suscipiendum unum, reiecto altero, reipsa non sunt discreta. Ἀνηκέμφατα verò sunt *Potestas* illa absoluta, plenaria & inobstricta, & *Debita* gratia: si modò ita nuncupare fas sit. Qui enim gratiam suam alicui debet, is non habet potestatem absolutam & inobstrictam miserendi, cuius velit. Et è contrà. Qui habet potestatem absolutam & inobstrictam miserendi cuius velit, is gratiam suam nemini debet:

bet: sed gratia eius est gratuita & vera; ut passim loquitur *Augustinus.*

CL.

Assumptum continetur in istis verbis vers. 18. *Cui vult miseretur: quem autem vult indurat.* Quorum verborum sensus est planissimus; nempe, Deum ad miserendum alicuius, aliquorum, vel omnium, nullo prorsus vinculo esse obstrictum, nullo merito esse devinctum, nulla obligatione teneri, sed libertimam, integerrimam & absolutam habere potestatem miserendi cuius velit, & indurandi quem velit.

CLI.

Neque aliquid insolentiæ habet iste loquendi modus, quo verba *actionem* aliâs significantia, non tam actionem ipsam, quàm *agendi potestatem* notant. Ut si Canonista, qui lingit sputum Romani Pontificis, dicat: Papa transfert regna de gente in gentem: constituit Cæsares; deponit Cæsares; tradit sceptrum, cui vult; eripit sceptrum, cui vult &c. ut significet, Papam habere potestatem transferendi regna de gente in gentem, &c. videlicet juxta Satanicum illud, *Luc. 4. v. 6. Tibi dabo potestatem hanc universam, & gloriã illorum: quia mihi tradita sunt, & cuicunque volo, do illam.* Aut, quia mavis Scripturam, cum Christus dicit *Ioh. 10. v. 17. Ego pono animam meam, ut iterum sumam eam:* & illico *v. 18.* expolitionem subnectit: *Nemo*, inquiens, *tollit eam à me, sed pono eam à me ipso: potestatem habeo ponendi eam, & potestatem*

habeo,

habeo rursus sumendi eam, hoc mandatum accepi à Patre meo.

CLII.

Inprimis verò considerétur *versiculus 21.* sequens: *An non habet potestatem figulus luti, ut ex eadem massa fingat aliud quidem vas in honorem, aliud verò in ignominiam?* Ubi eandem potestatem αὐτολεξεὶ asserit. Item illud in parabola, proximè commemorata, *Matth. 20. v. 15. An non licet mihi, quod volo, facere in rebus meis?*

CLIII.

Quò refer istud *Augustini* è sermone de verb. Apostol. *Vna erat massa perditionis ex Adam, cui non nisi supplicium debebatur. Facta sunt vasa inde in honorem ex eadem massa. Habet enim potestatem figulus luti ex eadem massa. Qua massa? Certè iam perierat. Certè iam illi massæ iusta damnatio debebatur. Gratulare quia tu evasisti. Mortem quippe debitam evasisti, & vitam non debitam reperisti. Habet potestatem figulus luti, ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam.*

CXIV.

Cæterùm, cùm versiculus ille *decimus octavus*, in quo continetur Assumptum, sit *bimembris*: Apostolus utrumq; membrum Scripturæ testimonio communit. Membrum prius est illud: *Quòd Deus habeat absolutam potestatem miserendi, cuius velit*: Posterius: *Quòd habeat absolutam potestatem indurandi, quem velit.*

CLV.

Prius membrum probatur in vers. 15. testimonio ipsius Dei *Exo. 33. v. 19.* dicentis: *Miserebor cuiuscunq; miserebor: & commiserabor, quemcunq; commiserabor.* Quibus verbis absolutam illam miserandi potestatem describi, è verborum divinorum contextu est obvium. Cum enim Moysi oranti, ut Deus respiciat populum & gentem suam, sibiq́ue ostendat gloriam suam, Dominus responderet, se facturum ut bonitas sua transeat ante faciem Moysis, & in nomine Domini coram ipso prædicetur: jam ut eripiat Judæis omnem ansam præfidendi, aut gloriandi vel de meritis suis, vel Dei erga se obligatione, pro cautela subtexit ista, quæ recitat Apostolus: *Et miserebor, cui voluero, & clemens ero, in quem mihi placuerit*: videlicet, ut præmoneat, se, quicquid hujus facturus sit, nullius adductum meritis facturum, sed è pura puta sua gratia & liberrima potestate, per quam sibi integrum sit misereri, aut non misereri, horum vel illorum, omnium vel aliquorum.

CLVI.

Perpendit hoc *Augustinus* in Epist. 105. ubi commemoratâ objectione illa: Nunquid in quitas est apud Deum? *Hic*, inquit, *erat locus, ut diceret, quod isti* (Pelagiani) *sentiunt. Futura opera prævidebat Deus, quando minori majorem servitutum esse, dicebat. Non autem hoc Apostolus dicit, sed potiùs nequisquam de suorum operum audeat meritis gloriari, ad Dei gloriam & gratiam commendandam voluit valere, quod dixit, Absit. Moysi*

enim

enim dictum est, Misertebor, cui misertus ero, & misericordiam præstabo, cui misericors fuero.

CLVII.

Ostendit idem πόρισμα seu *Consectarium*, quod Apostolus è verbis istis, ad asserendum absolutam illam potestatem Dei *vers. 16.* deducit: *Itaque*, inquiens, *non est volentis, neque currentis, sed miserentis Dei.* Quamvis enim nemo convertatur, qui nolit, juxta illud *Matth. 23. v. 37. Quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos suos sub alas, & noluistis?* Et quamvis nemo ad metam salutis pertingat, nisi qui currat, juxta illud *1. Cor. 9. v. 24. An nescitis, quòd qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed unus accipit præmium? sic currite, ut comprehendatis:* attamen jubet Paulus, ne quis in suæ voluntatis aut cursus merito recumbat, sed omnia ad liberrimam Dei voluntatem & gratiam, in quæ sola salus nostra sit posita, referat. Quæ liberrima Dei voluntas reapse nihil est aliud, quàm absoluta illa potestas, de qua hîc dissertatur. *Opus est velle & currere*, scribit Chrysost. homil. in Ep. ad Roman. *Confidere autem non propriis laboribus, sed Dei benignitati.*

CLVIII.

Huiusque loci sunt illa *Augustini:* in Epist. ad Sixtum presbyt. *Ubi nunc merita? Ubi opera vel præterita, vel futura, tanquam liberi arbitrij viribus adimpleta, sive adimplenda? Nonne apertam protulit Apostolus de gratuitæ gratia (hoc est veræ gra-*

tiæ

tia) commendatione sententiam? Nunc, dum-
fecit Deus hæreticorum sapientiam? Item: *Nun-*
quid iniquitas apud Deum? Absit. Sed quare ab-
sit? An propter opera, quæ futura prævidebat? Im-
mo & absit hoc. Moysi enim dicit: Miserebor, cui
misertus ero: & misericordiam præstabo, cui mise-
cors fuero. Igitur non volentis, neq; currentis, sed
miserentis est Dei. Item in lib. con. Julian. *Hoc si*
attenderes, non extenderes contra gratiam merita
voluntatis, ubi audis: Neq; volentis, neque curren-
tis, sed miserentis est Dei. Non ergo ideo misertus
est Deus, quia voluit & cucurrit Iacob, sed ideo vo-
luit & cucurrit Iacob, quia misertus est Deus. Para-
tur enim voluntas à Domino, & â Domino gressus
hominis dirigentur, & viam eius volet. Item in lib.
quæst. in exod. qu. 154. *Prædictum est, Miserebor,*
cui misertus ero, & misericordiam præstabo, cui mi-
sericordiam præstitero. Quibus verbis prohibuit ho-
minem velut de propriarum virtutum meritis glo-
riari, ut qui gloriatur, in Domino glorietur. Non
enim ait, miserebar talibus vel talibus, sed cui mise-
ricors fuero: ut neminem præcedentem bonis operi-
bus suis, misericordiam tantæ vocationis meruisse
demonstret.

CLIX.

De Pharaone & Induratione.

Membrum *assumpti* posterius, *Quod Deus ha-*
beat absolutam potestatem indurandi, quem velit,
constabilitur exemplo *Pharaonis*, infestissimi illi-
tyranni & persecutoris populi Israelitici, in *versu*

17. qui

17. qui ita habet: *Dicit enim Scriptura Pharaoni, In hoc ipsum te excitavi, ut ostendam in te potentiam meam, & ut annuncietur nomen meum in universa terra.*

CLX.

Quæ verba qui ita exponunt, quasi significent; Pharaonem esse à Deo conditum, destinatum, impulsum & excitatum ad peccandum, Deo & verbo ejus vim & injuriam faciunt. *A Deo* enim *non est nisi bona donatio, tanquam à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, aut conversionis obumbratio. Qui verò irritatur & inescatur ad peccandum, non tentatur à Deo: siquidem Deus nec malis tentari potest, nec tentat quenquam: sed tentatur dum à propria concupiscentia abstrahitur & inescatur:* ut docet Jacobus in Epistola *cap. 1. v. 17. 13. 14.* Isque est totius S. Scripturæ tenor.

CLXI.

Nec verba ipsa talem præ se ferunt Δόγματα. Non enim dicit Scriptura, τυπέσι, Deus in Scriptura: Excitavi te, ut impius, præfractus, contumax & superbus esses: sed exponit *finem secundarium* suæ bonitatis, μακροθυμίας & sapientiæ, quem propter ipsum, quem talem sua sponte futurum esse videbat, nihilominus condiderit, ad regnum evexerit, & eousque sustinuerit. Perinde ac si dictum esset: Etsi videbam, te impium, rebellem & superbum futurum, nihilominus ἐξήγειρά σε excitavi te, (qua voce utitur *Paulus*) seu Heæmadticha (quæ vox est in *Hebræo*) feci te stare; seu feci

(quo-

quomodo *Tremellius* & *Junius* vertunt) ut restares; seu διετηρήθης ἑως ἔνῦν (ut *Septuaginta* habent) conservatus es; seu conservavi te, ut interpretatur *Munsterus*: hoc est, passus sum te nasci, & cum talis esse cœpisses, non illico te sustuli, aut de fastigio rerum dejeci, sed dominandi copiam tibi feci, tuamque tyrannidem magna μακροθυμία tuli, & magis magisq; indurescenti indulsi; saltem ob hunc finem, ut cum insanabilis esses, meam potentiam in tui eversione & internecione, per iustissimum iudicium, ostenderem.

CLXII.

Cui ὑποθήκην adstipulatur Salomon, ubi in Proverbiis dicit: *Omnia facit Dominus propter semetipsum, etiam impium ad diem malum*, Prov. 16. v. 4. Quia enim impius quoque est factura Dei, non quidem ratione impietatis & quâ est impius, sed ratione naturæ, quâ est homo: respondet Rex sapientissimus his, qui quærunt, Quorsum Deus hominem eiusmodi faciat, quem impium fore videat: nempe ad diem malum, hoc est, ad diem ultionis & vindictæ, qua declaret suam iustitiam in eo, qui nec impietatem suam, nec Dei misericordiam agnoscere volebat. *Iustus enim cum sit, justè omnia disponit.* Sap. 12. v. 15.

CLXIII.

Audiamus de Pharaone Augustinum. Is in lib. quæst. Exo. qu. 32. considerans hæc Scripturæ verba: propter hoc ipsum conservatus es: ista subiungit: *Novit DEVS benè uti malis, in quibus*

tamen

tamen naturam humanam non ad malitiam creat, ſed perfert eos patiens, quousq; ſcit oportere, non inaniter, ſed utens eis ad admonitionem vel exercitationem bonorum. Ecce enim, ut annuncietur nomen Dei in univerſa terra, vaſis miſericordiæ utiq; prodeſt. Et in lib. 83. qu. ſcribit: *De Pharaone facilè reſpondetur, prioribus meritis quibus afflixit in regno ſuo peregrinos, dignum effectum, cui obduretur cor, ut nec manifeſtiſſimis ſignis jubẽtis Dei crederet. Ex eadem ergo maſſa, id eſt, peccatorũ, & vaſa miſericordiæ protulit, quibus ſubveniret, cũ eum deprecarentur filij Iſrael, & vaſa iræ, quorum ſupplicio illos erudiret, id eſt Pharaonem & populum eius, quia quamvis eſſent utriq; peccatores, & propterea ad unam maſſam, pertinerent, aliter tamen tractandi erant, qui uni Deo ingemuerant, ut eis ſubveniret, & aliter illi, quorum iniuſtis oneribus ingemuerant.* Ibidem: *Nunquid latebat Pharaonem, quantum bonum conſecuta fuerant illa terra per adventum Ioſeph? Illius ergo rei geſtæ cognitio eius vocatio fuit, ut populum Iſrael miſericorditer tractans non eſſet ingratus. Quia autem huic̃ vocationi obtemperare noluit, & exercuit crudelitatem in eis, quibus humanitas & miſericordia debebatur, meruit pœnam, ut induraretur illi cor, & tantam cœcitatem mentis pateretur, ut tot & tantis, tamq; manifeſtis Dei ſignis non crederet, quò poſſet eius ſupplicio ſive obdurationis, ſive ultimæ viſibilis ſubmerſionis erudiri populus, cuius afflictione ille & occultæ obtuſionis & manifeſtæ ſubmerſionis meritum compararet.*

Nec

CLXIV.

Nec obstat, quòd Pharao adducitur pro exemplo, quo Apostolus vult demonstrare, Deum indurare, quem velit. Non enim dicitur indurare Deus, ut causa Indurationis *per se & positiva*, quòd hominem ad duriciem excitet, aut quòd duriciem in hominis voluntatem immittat, aut quòd, *sicuti ovem* (ut Valla dicebat) *creârit mitem, lupum rapacem, canem rabidum, ita hominum alij finxerit mollia præcordia, alij mentem inflexibilem.* Rectè enim scripsit *Augustinus* lib. de nat. & grat. cap. 2. Rom. 1. *Deus aliquoties vindicat peccata, & ex illa vindicta semper plura & graviora peccata consurgunt. Et tamen de induratione, excæcatione, id est, de peccatis, quæ sunt pœnæ peccatorum, dicit Paulus ad Rom. 11. v. 11. Nunquid impegerunt, ut caderent? Absit. Adeò nimirum Deus non est Deus volens iniquitatem. Psal. 5. v. 5.* Aliâs *quomodo iudicabit mundum? Rom. 3. v. 6.* Dicitur tamen *indurare* & hîc & alibi *sequentibus* modis.

CLXV.

Primò, *Negativè ἀποφατικῶς*: quando non emollit, ut loquitur *Augustinus* lib. de prædestin. Sanctor. cap. 4. Quò pertinent dicta illius: In lib. de prædest. & grat. c. 4. *Induratio non ita intelligenda est, quasi Deus in homine ipsam, quæ nom esset, duritiem cordis operetur. Quam, qui à Deo fieri putat, propterea quia dictum est: Quem vult indurat: ipsum prævaricationis intueatur exordium, & quicquid post illam prævaricationem natus supplu-*

hom-

homo patitur, iuste meritoq; reddi fateatur. Indurare enim Deus dicitur eum, quem illuminare noluerit. In Epist. ad Sixt. Presbyt. *Non obdurat Deus impertiendo malitiam, sed non impertiendo misericordiam.* In lib. ad Simplician. Episc. *Non quomodo dictum est, non volentis, neque currentis, sed miserentis est Dei, ita etiam dictum est, non volentis neque currentis, sed obdurantis est Dei. Vnde datur intelligi, quod infra utrumq; posuit, Ergo cuius vult miseretur, & quem vult, obdurat, ita sententiæ superiori posse congruere, ut obduratio Dei sit nolle misereri, ut non ab illo irrogetur aliquid, quo sit homo deterior, sed tantùm, quo melior sit, non erogetur.* Item: *Deus neminem peccare cogit, sed tantummodo quibusdam peccantibus misericordiam justificationis suæ non largitur, & ob hoc dicitur obdurare peccantes quosdam, quia non eorum miseretur, non quia impellit, ut peccent.*

CLXVI.

Deinde *Privativè στερητικῶς ἢ ἀφαιρετικῶς*: quando cordis molliciem qualemcunque aufert, juxta illud: *Quisquis habet, dabitur illi, & reddetur abundantior: quisquis autem non habet, etiam illud quod habet, tolletur ab eo. Matth. 13. v. 12. Matth. 25. v. 29. Mar. 24. v. 25. Luc. 8. v. 18. Luc. 19. v. 26.* Quemadmodum enim ablata luce, per sese succedunt tenebræ: Et ablato visu, sequitur cæcitas: ita quoque ablata mollicie, per quam Spiritui S. poterant non resistere, qui postmodum indurantur, nihil aliud potest sequi, quàm duricies. Refer

huc istud Prosperi in lib. respons. ad Capit. Gallorum: *Gratia Dei non priùs eos deseruit, quàm ab eis desereretur.* Et istud Augustini in lib. ad Simplician. *Cui vult subvenit, & quem vult deserit, cum & ille, cui subvenit, & ille, quem deserit, ex eadem massa sint peccatorum, & quamvis debeat uterq; supplicium, ab uno tamen exigitur, alteri donatur.* Item in lib. de bono persever. cap. 6. *Voluntate sua quisq; deserit Deum, ut meritò deseratur à Deo: Quis hoc negat?* Item in lib. de nat. & grat. c. 2. *Desertus luce veritatis utiq; fit cœcus, & plus necesse est offendat, & cadendo vexetur, vexatus q; non surgat.* Item in lib. de Nat. & Grat. cap. 23. *Deserti quippe luce justitiæ, & per hoc contenebrati, quid aliud pariant, quàm opera tenebrarum?*

CLXVII.

Tum *Permissivè* τῷ δικαίῳ καὶ ἀνεξιχνιάστῳ κατ' ἀποχώρησιν: quando justissimo judicio hominem sibiipsi & Diabolo indurandum permittit & tradit. Quæ demum sunt genuinæ Indurationis & Excœcationis causæ. De homine loquuntur ista: Heb. 3. v. 8. *Nolite obdurare corda vestra.* Deut. 10. v. 16. *Cervicem vestram ne induretis amplius.* 2. Reg. 17. v. 14. *Non audierunt, sed induraverunt cervicem suam, iuxta cervicem patrum suorum, qui non crediderunt in Dominum Deum suum.* 2. Paral. 30. v. 8. *Nolite indurare cervices vestras, sicut patres vestri.* Neh. 9. v. 16. 29. *Patres nostri superbè egerunt, & induraverunt cervices suas, & non audierunt mandata tua.* Et de Pharaone *Exod. 9. v. 25.* dicitur:

Ingra-

Ingravavit corſuum ipſe & ſervi ejus. nec non de Sedechia 2. Paral. 36. v. 13. *Induravit cervicem ſuam & cor, ut non reverteretur ad Dominum Deum Iſrael.* Unde Irenæus l. 4. cap. 48. *Tradidit ergo eos Deus infidelitati ipſorum, & avertit faciem ſuam ab hujuſmodi, relinquens eos in tenebris, quas ipſi ſibi elegerunt.* De Diabolo verò conſtat è parabola *Seminantis*, quòd veniat & tollat verbum de corde eorum, quorum cor *incraſſatur, ut videntes non videant, & audientes non intelligant.* Luc. 8. v. 12. Matth. 13. v. 14. Et 2. Cor. 4. v. 4. dicitur *excœcare* mentes fidelium.

CLXVIII.

Rurſum *Objectivè ὑλικῶς ἢ ἀναγκητικῶς*: quando illis ſigna & prodigia ſua oſtendit, quorum intuitu indureſcunt, qui potiùs ad meliorem mentem ſe inde recipere debebant. Tanta enim eſt perverſitas mentis humanæ, ut aliquando in nutrimentum improbitatis convertat, quod ſuopte fine futurum erat irritamentum reſipiſcentiæ. Juxta illud Prov. 25. v. 20. *Aceturn in nitro, qui cantat carmina cordi peſſimo.* Eoque modo arbitratur *Lutherus* in lib. de *ſervo arbitrio*, dici Deum induraſſe cor Pharaonis. Præcipuè verò huc pertinet illud Ioh. 12. v. 37. 39. 40. *Cum tam multa ſigna feciſſet coram eis, non credebant in eum. Propterea non poterant credere, quia iterum dixerat Eſaias: Excœcavit oculos eorum, & induravit cor eorum, ne videant oculis, & ne intelligant corde, & convertantur & ſanem eos.*

Denique *Directivè Δεσποτικῶς*: non quòd illos ad duriciem dirigat, quam odit & punit, sed quòd duriciem, quam in ipsis, præter suam voluntatem, & citra suum instinctum, emersuram videret, ad bonum finem, qualis est judicium, in quo gloria, potentia, sapientia & justitia sua refulgeant, dirigat, modumque ac limites, quousq; permittere velit, circumscribat. Quippe, quod à Veteribus rectè est dictum, *Deus malarum voluntatum non est auctor, sed ordinator.* *Vide Fulgent.* ad Monimum lib. 1. *Augustin.* lib. 5. de civit. DEI cap. 9. Item lib. 14. de civit. DEI cap. 26. Et in *Genesi ad lit. cap. 5.* inquit: *Peccatores, in quantum peccatores, non facit Deus, sed ordinat tantùm.* Item: *Deus non facit voluntates malas, sed utitur eis, ut voluerit, cum aliquid iniqui velle non possit.* August. lib. 5. contra Julian. cap. 3. *Est in malorum potestate peccare. Ut autem peccando vel hoc vel illud malitiâ sua faciant, non est in potestate eorum, sed Dei dividentis tenebras & ordinantis eas, ut hinc etiam, quod faciunt contra voluntatem Dei, non impleatur nisi voluntas Dei.* Idem de prædest. sanct. cap. 16. Item in lib. de Corrept. & Grat. *Velle & nolle sic est in volentis aut nolentis potestate, ut divinam voluntatem non impediat, nec superet potestatem. De his enim, qui faciunt, quæ non vult, facit ipse quæ vult.* Summa; tam bonus est Deus, ut malum non permitteret, nisi bonum inde elicere posset.

Arque

Atque ita quidem constat *Assumptio* superioris Connexi: *Quòd Deus habeat absolutam potestatem miserendi, cuius velit, & indurandi quem velit.* Inde verò emergit *Quæstio*, quæ silentio non videtur prætereunda: Cum Deus eiusmodi habeat potestâtem miserendi & indurandi: *Quorum* igitur *velit misereri; & quos velit indurare.* Ad quam breviter dicendum: Deus posset nullius misereri: sed vult misereri omnium: contra verò posset omnes indurare, sed non vult indurare, nisi eos, qui grátiam oblatam aspernantur. Quod dicitur, membratim & sigillatim confirmatur ita.

CLXXI.

Primùm igitur *quòd Deus nullius posset misereri*, ex iis, quæ Apostolus hactenus disputavit, luce meridiana clariùs apparet. Si enim Deus ad misserendum nemini est obstrictus, posset sanè nullius misereri; sicuti lapsorum Angelorum nullius est misertus. At prius est verum: stante disputatione Paulina. Ergo etiam posterius. Quò refer illud *Augustini* in sermo. de verbis Apostoli: *Si totus mundus sub captivitate, totus mundus in peccato, totus mundus iustissimè supplicio destinatus, sed ex parte per misericordiam liberatus. quis dicat Deo quare damnas mundum? Quomodo accusatur iudex Deus, quando damnatur mundus reus? Reus es. Si quid debeas consideres, pœna vocatur: nec cum à te debitum exigitur, exactor iustè reprehenditur Reprehendatur exactor, si indebitum exigit. Cum verò debitum exigit, quis reprehendat exactorem.*

quamvis expectet donatorem? Et illud in lib. de prædest. & gratia c. 13. *De his, quibus pœnam severitas iusta decreverat, secundum ineffabilem occultæ dispositionis misericordiam elegit vasa, quæ faceret in honorem, & alios a ventura ira dono gratuitæ vocationis absolvit, alios verò ad æqualitatis iudicium reservavit, nulli tamen agnoscendæ veritatis abstulit facultatem, & ita plenitudo divinæ præscientiæ, in alios manante iustitia, in alios gratia profluente completa est.* Item in Enchirid. *Universum genus humanũ tam iusto iudicio in apostolica radice damnatum est, ut etiam si nullius inde liberaretur, nemo recte posset Dei vituperare iustitiam.*

CLXXII.

Deinde, quòd *omnium misereri velit*, dicit Apostolus, *cap. 11. v. 30. 31. 32.* scribens: *Quemadmodum vos aliquando non credidistis Deo: nunc autem misericordiam consecuti estis propter incredulitatem illorum: ita & isti nunc non crediderunt in vestram misericordiam, ut & ipsi misericordiam consequantur. Conclusit enim Deus omnes in incredulitatem, ut omnium misereatur.* Ubi disertè profitetur, quàm latè pateat incredulitas, tàm latè patere divinam miserendi voluntatem. *Suavis enim est Dominus universis: & miserationes eius super omnia opera eius Psal. 145. v. 9. Et Psal. 57. v. 11. Magnificata est, usque ad cœlos misericordia tua, & usque ad nubes veritas tua.*

CLXXIII.

Quò refer illud *Sap. 11. v. 24. Misereris omnium quia omnia potes, & dissimulas peccata hominum*

pro-

propter pœnitentiam. Et istud *Syr.18.v.12. Miseratio hominis circa proximum suum: misericordia autem Dei super omnem carnem.* Ante omnia verò locum Apostoli *Rom.5.v.18.19.20. Sicut per unius delictum in omnes homines in condemnationem, sic & per unius iustitiam in omnes homines in iustificationem vitæ. Sicut enim per inobedientiam unius hominis peccatores constituti sunt multi: ita & per unius obedientiam iusti constituentur multi. Lex autem subintravit, ut abundaret delictum. Vbi autem abundavit delictum, superabundavit & gratia.* Ubi meritum Christi & gratiam ambitu suo ipsius peccati latitudinem complecti intelligimus.

CLXXIV.

Concludamus rem *Syllogismo*: Si Deus ter opt. ita dilexit mundum, ut (1) neminem velit perire, (2) sed omnes salvos fieri; ut (3) velit Filium suum omnibus esse natum, (4) omnibus esse mortuum, (5) omnibus gratiam & justitiam acquisiviſſe, & (6) omnibus esse Salvatorem; ut (7) velit omnibus annunciari Evangelium, & (8) ab omnibus Evangelio credi; sequitur ἐξ ἀναγκης, Deum velle omnium hominum misereri.

CLXXV.

Atqui Deus ter opt. ita dilexit mundum, *Ioh. 3. v.6.* ut (1) neminem velit perire, *Ezech. 18. v.33. Ezech.33. v.11. 2. Pet.3. v.9.* (2) sed omnes salvos fieri, *1 Tim.2.v.4.* (3) ut velit Filium suum omnibus esse natum, *Luc.2.v.10.11. Tit.2.v.11.* (4) omnibus esse mortuum, *Esa.53.v.6. Ioh 3.v.16. Ioh.6.*

v. 15. 1. Cor. 15. v. 21. 22. 2. Cor. 5. v. 14. 15. 19. 20. 1. Tim. 2. v. 6. Heb. 2. v. 9. 1. Ioh. 2. v. 2. (5) omnibus gratiam & iustitiam acquisiviſſe. *Rom. 5. v. 18. 19. 20. 21. Col. 1. v. 20.* & (6) omnibus esse Salvatorem. *Luc. 18. v. 10. Iohan. 3. v. 17. Iohan. 12. v. 47. 1. Tim. 4. v. 10. 1. Ioh. 4. v. 14.* ut (7) velit omnibus annunciari Evangelium. *Esa. 65. v. 2. 12. Matth. 22. v. 9. Matth. 28. v. 19. Marc. 16. v. 15. Luc. 24. v. 46. 47. Act. 1. v. 8. Rom. 10. v. 18. Col. 1. v. 6.* & (8) ab omnibus credi Evangelio. *Esa. 45. v. 22. Esa. 55. v. 1. Marc. 1. v. 15. Actor. 17. v. 30. 1. Tim. 2. v. 4.*

CLXXVI.

Ergo DEUS ter opt. vult omnium hominum misereri. *Voluntate*, inquam, illa, quæ à *Chrysostomo* homi. 1. ad Ephesi. *Theophylacto* ibidem, & *Damasceno* lib. 2. de orthodoxa fide cap. 29. *Voluntas* Dei ἡγεμὼν seu *Antecedens* appellatur, quæ tàm latè patet, quàm latè patet hominum miseria, & qua Deus consultum vult omnibus, modò credant in Filium. Alia est ratio *Voluntatis* ἑπομένης seu *Consequentis*. Quia enim non omnes credunt in Filium, jam voluntate consequente decernit, his, qui credunt, misericordiam, & salutem, quam omnibus volebat conferre, illis verò, qui consilium Dei aspernantur, damnationem æternam irrogare. *Iohan. 6. v. 40. Ioh. 3. v. ult. Marc. 16. v. 16.*

CLXXVII.

Porrò, quòd Deus *omnes posset indurare*, non e-

get operosa probatione. Nam si omnes homines sunt peccatores, ideoque filii iræ, & damnationi æternæ obnoxii, sequitur, Deum indurare posse omnes homines. At prius verum. Ergo etiam posterius. *Connexum* probatur: Quia Induratio est pœna antegressi peccati, per quam itur ad damnationem æternam. Juxta illud Augustini in Epist. ad Sixt. presbyt. *Quærimus meritum obdurationis & invenimus. Merito namq; peccati universa massa damnata.* Item in lib. de bono persever. *Da quibus vult, quoniam misericors est, quod & si non det, justus est; & non dat, quibus non vult, ut notas faciat divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ. Dando enim quibusdam quod non merentur, profecto gratuitam & per hoc veram suam esse gratiam voluit. Non omnibus dando, quid omnes merentur ostendit. Bonus in beneficio certorum, justus in supplicio certorum. Et bonus in omnibus, quoniam bonum est cum debitum redditur: & justus in omnibus, quoniam iustum est, cum debitum sine cuiusquam fraude donatur. Assumptum est* ἀναμφισβητήτιμον è planissimis S. Scripturæ locis *Prov. 20. Rom. 3. Rom. 5. Ephes. 2. Iob. 14. Ioh. 3.*

CLXXVIII.

Postremò, quòd *Deus non velit indurare, nisi eos, qui gratiam oblatam aspernantur*, probant illustria Scripturæ dicta, quæ docent Deum non nisi impœnitentes, incredulos & obedientes eo modo damnare ac punire velle. Vide *Prov. 1. v. 24. 25 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. Esa. 5. v. 1. 2. 3. 4. 5. 6. Ierem.*

32.v.33.Matt.23.v.37.Mar.16.v.16.Luc.14.v.21. Ioh.3.v,18.36.Ioh.16.v.8.9. 2,Thess.1.v.8. 2.Thess.2. v.10. 12.

CLXXIX.

Huc pertinent *Augustini* dicta quàmplurima Quorum nonnulla recitata sunt suprà *Thes. 105:* Quibus hîc adde sequentia. In lib. de grat. & lib. arbitr. inquit: *Fixum debet esse & immobile in corde vestro, quòd non est iniquitas apud Deum; ac per hoc cum legitis in literis veritatis, à Deo seduci homines, aut obdurari corda eorum, nolite dubitare præcessisse mala merita eorum, ut iustè ista paterentur; gratia verò non secundum merita hominum detur.* Et ibidem cap. 23. *Quando auditis dicentem Dominum Ezech. 14. Ego Dominus seduxi Prophetam illum; & quod ait Apostolus ad Rom. 9. Cuius vult miseretur, & quem vult indurat; in eo quem permittit seduci vel indurari, mala eius merita credite; in eo verò cuius miseretur, gratiam Dei non reddentis mala pro malis, sed bona pro malis, fideliter & indubitanter agnoscite.* In Epist. ad Sixtum Presbyt. *Miseretur gratuito dono, obdurat iustissimo merito.* In lib. cont. Julian. *Miseretur secundum gratiam, quæ gratis datur, non meritis redditur: obdurat autem secundum iudicium, quod meritis redditur.* Item in lib. ad Simplician. *Ob hoc dicitur obdurare peccantes quosdam, quia non eorum miseretur, non quia impellit.* Item in Enchirid. ad Laurent. *Quis tam impiè desipiat, ut dicat, Deum malas hominum voluntates, quas voluerit,*

quando voluerit, ubi voluerit, non posse in bonum convertere? Sed cum facit, per misericordiam facit. Cum aũt non facit, per iudicium non facit, quoniam cuius vult miseretur, & quem vult obdurat. Item in lib. de prædest. Sanct. *Miseretur bona tribuẽs, obdurat digna retribuens.* Item in lib. de prædest. & grat. c. 9. *Deus à levi præceptorũ suorũ iugo leniq; sarcina recedentes, & ad durissimam peccati servitutem libero voluntatis arbitrio defluentes, secundum suam iustitiam derelinquit.* Item ibidem: *Ipse rursus delinquentes deserit, resistentes indurat, contemnentes condemnat.* Et cap. 14. *Dic quicunque condemnaris, iustus es Domine in omnibus, quæ fecisti nobis, & iudicia tua omnia vera. In veritate enim & iudicio omnia hæc superinduxisti propter peccata nostra.* Item in Epist. 106. *Propter illud, quod inconcussum tenetur, non esse iniquitatem apud Deum, neminem obdurari nisi merito noverimus, quamvis nullus justificetur suis meritis præcedentibus.*

CLXXX.

PROLEPSIS POSTERIOR.

Sic fuit *Prolepsis prior*: consideranda nunc est *Posterior*, quæ ex iis, quæ de priori dicta erant, suboritur, & ab Apostolo eodem consilio proponitur, ut è Solutione eius (Rhetores vocant *Subiectionem*) absoluta Dei potestas & libertas clariùs eluceſcãt. Quia enim in versu antecedente 18. Assertionem talem posuerat: *Misereri Deum cui velit, & indurare, quem velit:* Illico in mentem veniebat, quid à vitilitigatoribus, qui altercandi an-

dianſam undeliber facilè arripiant, oppoſi poſſet. Quod ipſe præoccupat, ubi verſ. 19. dicit: *Dicas ergo mihi, quid adhuc conquerantur? nam voluntati illius quis reſiſtit?*

CLXXXI.

Hoc eſt enim dicere, ſcribit *Auguſtinus* in Epiſt. ad Sixtum Preſbyterum; *Quid de nobis ſit querela, quòd Deum offendamus malè vivendo, cum ipſius voluntati nemo reſiſtere poſſit, qui nos obduravit miſericordiam non præſtando.* Item in lib. ad Simplician. Epiſc. *Si Deus miſeretur cuius vult, & indurat quem vult, quis nõ erumpat in eam vocem, quam ſibi ipſe obiecit Apoſtolus: Dicis itaque mihi, quid adhuc conqueritur? Nam voluntati eius quis reſiſtit? Conqueritur enim Deus ſæpè de hominibus, ſicut per innumerabiles apparet Scripturarum locos, quòd nolunt credere & rectè vivere.* Item in lib. ad Bonifacium: *Cui vult miſeretur, & quem vult obdurat. Profectò neutrum aliqua iniquitate, ſed utrumque miſericordia & veritate, & adhuc tamen audax movetur infirmitas, eorum ſcilicet qui ſecundum coniecturas cordis humani inſcrutabilem altitudinem iudiciorum Dei cogitare conantur. Hanc ſibi ex adverſo opponens Apoſtolus ait, Dicis itaq; mihi. Quid adhuc conqueritur? Nam voluntati eius quis reſiſtit?*

CLXXXII.

Itaq; argumentum ἀπαρτήτητον illorum eſt tale: *Qui miſeretur cuius vult, & indurat quem vult, ut immeritò iſtos, qui indureſcunt, accuſat.*

Atque

Atqui Deus miseretur cuius vult, & indurat quem vult.

Ergò Deus immeritò istos, qui indurescunt, accusat.

Propositionis ratio est: Quia voluntati Dei nemo possit resistere: *tanquam*, ut ait Augustinus in Enchiridio, *propterea malus non videatur culpandus, quia Deus cui vult miseretur, & quem vult indurat. Assumptio* expressa est in *vers. 18.*

CLXXXIII.

Ad hunc Syllogismum respondet Apostolus *bifariam*: Indirectè & Directè. *Indirecta* eius responsio est ἔλεγξις seu *objurgatio*, qua adversariorum improbitas potiùs retunditur, quàm objecti argumenti vanitas demonstratur. Qui enim, quod *Philosophus 3. Top. 11.* docet, contra pietatem & sensum disputant, indigent παιδεύσει, adeoq;, ut dictum est ab alio, οὐ λόγων μᾶλλον δεόντες ἢ πληγῶν non tam rationibus egent, quàm plagis.

CLXXXIV.

Illa verò ἔλεγξις, qua Apostolus, assertor & vindex potestatis ac libertatis divinæ, hîc utitur, cõtinetur in *versiculo 20.* ubi per *Exclamationem, Apostrophen & Interrogationem*, quæ πάθος & pondus habent, inquit: *O homo, tu quis es, qui ex adverso respondes Deo?* Quorum verborum δεινότητα religiosè consideravit *Augustinus.*

CLXXXV.

Hi enim sunt ejus commentarioli in Epist. ad Sixtum presbyt. *Dicat*, inquit, *adhuc superbi & infidelis elatio, vel pœniti damnabilis excusatio.*

Quid

Quid adhuc conqueritur? nam voluntati ejus quis resistit? Dicat & audiat, quid convenit homini: O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Audiat hoc & non contemnat. Quia si contempserit, etiam ut contemneret se inveniat obduratum. Si autem non contempserit, etiam ut non contemneret se credat adiutum: sed obduratum debitè: adiutum gratis. Item in lib. ad Simplician. Epiſcopum: *Huius quæstionis impudentiam ita retundit Apostolus: O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Sic enim respondet Deo, cum ei displicet, quòd de peccatoribus conqueritur Deus, quasi quenquam cogat peccare Deus, cum ipse neminem peccare cogat.* Item in sermone de verbis Apoſtoli: *Dicis mihi, quid adhuc conqueritur? Nam voluntati eius quis resistit? O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Qui sit ille attende, qui sis tu attende. Ille Deus est, tu homo. Sed iustitiam loqui videris tu, & fons ille iustitiæ siccatus est? Si iustum loqueris, unde tibi? Aut injustum loqueris, & debes tacere: aut justum loqueris, & non habes nisi de fonte justitiæ. Fons autem justitiæ quis est nisi Deus? Primum ergo fundamentum fidei pone: Nunquid iniquitas apud Deum? Latere te æquitas potest, esse ibi iniquitas non potest. Expectas à me fortasse, ut dicam tibi, quare cui vult misereatur, & quem vult obdurat. Expectas à me homo? Si & tu homo & ego homo, ambo audivimus: O homo tu quis es, qui respondeas Deo? Melior enim est fidelis ignorantia, quàm temeraria scientia.* Et in alio quodam ſermone: *Si ideo movemur, quia homi-*

nes su-

nes sumus, ipsam naturam humanam infirmam ac debilem alloquitur Apostolus dicens: O homo tu quis es, qui respondeas Deo? nunquid dicit figmentum ei, qui se fingit, cur me fecisti? Si posset loqui pecus, & diceret Deo, quare istum hominem fecisti & me pecudem? nõne iustè succenseres & diceres, O pecus tu quis es, qui respondeas Deo? Et tu homo es, sed ad Deum pecus es. Et utinam sis pecus eius & ovis pascuæ eius. Agnosce beneficia pastoris, & non sequeris lupos erroris, Lupi eramus. Fuimus & nos natura filii iræ sicut & cæteri. Sed mortua est ovis & fecit nos oves. Ecce agnus Dei, ecce qui tollit peccatum, non huius aut illius, sed mundi.

CLXXXVI.

Summa igitur ὑποθήκεως Apostolicæ est: *Homo non debet* ἀντα ποκρίνεσθαι, *id est, ex adverso respondere Deo.* Nec magna defit ratio, quæ in eodem versiculo 20. hisce verbis, per *Communicationem & Prosopopoeiam* Rhetoricam nervosè expressa legitur: *Num dicet figmentum ei, qui finxit, cur me finxisti adhunc modum?* Unde argumentum prodit tale:

Figmentum Dei non debet ἀντα ποκρίνεσθαι *Deo, qui finxit illud:*

Homo est figmentum Dei.

Ergo homo non debet ἀντα ποκρίνεσθαι *Deo, qui finxit illum.*

CLXXXVII.

Assumptio ὁμολογουμένως erat vera: Itaque sola *Propositio* approbatur in versiculo sequente 21. qui

ita ha-

ita habet: *An non habet potestatem figulus lutu, ut ex eadem massa fingat aliud quidē vas in honorem, aliud verò in ignominiam.*

CLXXXVIII.

Ut συνέχεια patescat, Diexodus est talis:

Si Deus, qui fingit hominem, habet liberam & absolutam potestatem miserendi vel indurandi hominis, sequitur figmentum, hominem, non debere ἀντιποιεῖσθαι *Deo. At prius verum.*

Ergo & posterius.

Connexum per se manifestum est. Τὸ μεταλαμβανόμενον mititur versiculo allegato: è quo Prosyllogismus fluit talis:

Si figulus habet absolutam potestatem luti, per quam ex eadem massa fingere potest vas aliud in honorem, aliud in ignominiam, utique & Deus habet absolutam potestatem hominis, ut misereatur eius, vel induret eum.

Antecedens est verum.

Ergo & Consequens.

CLXXXIX.

Connexi ratio consistit in *Comparatione*, qua Deus creator componitur cum Figulo. Quę comparatio in Scriptura Prophetica quoque extat. Nam Esa. 45. ubi prædicitur solutio captivitatis Babylonicæ per Cyrum, opponitur illa v. 9. querimoniis eorum, qui in captivitate ita disputaturi erant: Si sumus electus Dei populus, quomodo devenimus in manus Babyloniorum: hisce verbis: *Va, qui contradicit fictori suo: testa cum figulo ter-*

ra: nun-

ræ: nunquid dicet lutum figulo suo: Quid facis, & opus tuum absque manibus est? Item *Esa. 64. v. 8 & 9. Domine pater noster es tu, nos verò lutum: & fictor noster tu, & opera manuum tuarum omnes nos. Ne irascaris Domine adeò vehementer & ne semper memineris iniquitatis nostræ: ecce, respice populus tuus, omnes nos.* Convenientiùs verò huc refertur locus Ieremiæ cap. 18. Cum enim Prophetæ, ingressus domum figuli, videret figulum facientem opus super rotam; & dissipato vase, quod fecerat è luto, manibus suis, vas aliud, pro lubitu suo, formantem: factum est ad illum verbum Domini: *Nunquid sicut figulus iste, non potero vobis facere, domus Israel? ait Dominus: Ecce, sicut lutum in manu figuli; sic vos in manu mea domus Israel.* Asserit itaque figuli illius exemplo suam, quam habebat in populum Israeliticum, potestatem, qua possit impœnitentem destruere, & pœnitentem resumere, indeque vas novum efformare. Id quod verba sequentia planiùs ostendunt Inquit enim v. 7. & 8. *Repentè loquar adversus gentem, & adversus regnum, ut eradicem & destruam & disperdam illud. Si pœnitentiam egerit gens illa à malo suo, quod locutus sum adversus eam: agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi, ut facerem ei.*

CXC.

Assumptum per se manifestum est. Siquidem in arbitrio figuli est situm, ut ex argillæ massa, quam tractat, fingat vel vas honoris, quale est ur-

ceus, culullus, fidelia; vel ignominiæ, quale est matula, &c. Qua de re ita proditum in libro Sapientiæ cap. 15. v. 7. *Figulus, mollem terram premens laboriose, fingit ad usus nostros unumquodq; vas, & de eodem luto fingit, quæ munda sunt in usum vasa, & similiter, quæ his sunt contraria: horum autem vasorum quis sit usus, index est figulus.*

CXCI.

Cæterùm, *ne stulti putent*, ut loquar cum Augustino, *Apostolum in responsione defecisse*, succedit jam in *versu 22. & 23.* Responsio alia *Directa*, quam fervidus ille assertor liberrimæ potestatis DEI justissimi, schemate novo, quod Rhetores *Aposiopesin* vocant, illustratam, hisce proponit verbis: *Quòd si Deus volens ostendere iram & notam facere potentiam suam, tulit multa animi lenitate vasa iræ, apparata in interitum: Et ut notas faceret divitias gloriæ suæ erga vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.* Et quid tum? *supplendum*, quod per *Aposiopesin* est relictum: nempe, tum dici non poterit, *quid adhuc conqueritur? nam voluntati illius quis resistit?*

CXCII.

Unde apparet, hanc Solutionem directam esse contra *Propositionem* Syllogismi, παραληπτικῶς objecti, quæ talis erat: *Qui miseretur cuius vult, & indurat quem vult, is immeritò accusat eos, qui indurescunt.* Hanc negat Apostolus, allata ratione, modò commemoratâ, è qua existit *Syllogismus*, ἐλεγκτικῶς illi *Propositioni* oppositus, talis:

Qui-

CXCIII.

Quicunque indurat quem vult, ita, ut tamen duriciei non sit auctor & approbator, seu causa per se, is non immeritò accusat eos, qui indurescunt.

Atqui Deus indurat, quem vult, ita, ut tamen duriciei non sit auctor & approbator, seu causa per se.

Ergo Deus non immeritò accusat eos, qui indurescunt.

CXCIV.

Propositio in promptu est. Quicunque enim eo modo indurat, ut tamen duriciei non sit auctor & approbator, aut causa per se, is mallet non indurare, ideoque, ut Scriptura loquitur, alienum opus potiùs facit, quàm suum. Et qui indurescunt, etsi, justitia ita exigente, ob sua peccata indurescunt; nempe secundum voluntatem iudicis Consequentem, qua ipsos deserit, & desertos indurescere sinit; attamen indurescunt contra voluntatem Antecedentem, qua idem malit misericordiam exercere. Quod cum ita sit, meritò accusantur ab eo, qui indurat: & cum pateat reditus ad gratiam emollientem, non tantùm accusantur meritò, sed etiam ipsis induratis fructuosè.

CXCV.

Assumptio confirmatur quatuor argumentis, quæ è verbis *versic. 22. & 23.* excipimus hunc in modum. *Primùm* qui indurescunt, dicuntur *vasa iræ*. Sequitur enim Apostolus filum metaphoræ, ex officina figuli in versu antecedente 19. petitæ. Unde argumentum tale:

Cui Deus per se irascitur, istius non est autor, approbator, aut causa per se.

Atqui duricici eorum, qui indurescunt, Deus per se irascitur.

Ergo Deus istius duriciei non est autor, approbator, aut causa per se.

CXCVI.

Propositio est perspicua. Nam, quod habetur in lib. Sapient. cap. 11. v. 25. *Deus nihil odit eorum, quæ fecit aut facit ipse: nec enim odiens aliquid constituit, aut facit.* Nec nisi ἀνθρωπίνως dici potest, Deum id velle & approbare, cui tamen per se iratcitur: Et vicissim. *Assumptio* probatur: Qui enim indurescunt, dicuntur vasa iræ, aut ratione naturæ, aut ratione duriciei, qua corrumpitur natura. Certè nō ratione naturæ: nisi velis abire ad ineptias blasphemas Manichæorum. Ergo ratione duriciei, qua corrumpitur natura. Quòd si ratione duriciei, qui indurescunt, dicuntur *vasa iræ*, manifestum est, Deum duriciei eorum, qui indurescunt, per se irasci: Et rectè dictum ab Augustino: *Deus nihil odit, nisi peccatum.* Item à Fulgentio lib. 1. ad Monimum: *Quæso, Monime charissime, ut hunc locum Apostoli diligenter attendas. Notum namq; est, iram Dei dici non posse, nisi ubi creditur hominis iniquitas præcessisse.*

CXCVII.

Secundò dicitur Deus *tulisse, seu toleravisse vasa iræ.* Unde argumentum:

Quod Deus tolerat, illius non est auctor, approbator, aut causa per se.

Atqui

Atqui Deus tolerat duriciem vasorum iræ.

Ergo Deus illius duriciei non est auctor, approbator, aut causa per se.

CXCVIII.

Propositio nititur genuino significatu vocabuli *Tolerare*. Quod amamus & approbamus, amplexamur: quod verò displicet, animis aversis toleramus. Eodemque modo tolerat Deus, quod per se aversatur, ut voluntati suæ repugnans. Quomodo igitur eiusdem auctor & approbator esse queat? *Assumptio* patet ex iis, quæ de antegresso argumento dicta sunt.

CXCIX.

Tertiò dicitur Deus *tolerasse vasa iræ ἐν πολλῇ μακροθυμίᾳ, multa animi lenitate, in multa longanimitate & patientia.*

Unde argumentum: *Quod Deus multa animi lenitate tolerat, eius autor, approbator & causa per se idem non est.*

Atqui duriciem vasorum iræ Deus multa animi lenitate tolerat.

Ergo Deus duriciei, quæ est in vasis iræ, autor, approbator, per se & causa non est.

CC.

Propositio probatur: Cùm quia obiectum *μακροθυμίας* est, non hoc, quod placet: in quo *μακροθυμία* exerceri non potest: sed istud, quod displicet, quod sordet, quod offendit, adeoq; quod iram & exitium meretur. Juxta illud *Augustini* in lib. 83. quæst. 68. *Per hoc, quod dicit in multa pa-*

tientia satis significare videtur priora peccata, in quibus eos pertulit, & opportunè tunc vindicavit, quando de illorum vindicta subveniendum erat his, qui liberabantur, & ut notas faceret divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam. Tum quia finis μακροθυμίας est, ut fiat melius, quod malum est, ut resipiscat, qui Deum offendit. Juxta illud *Rom. 2. v. 4. An divitias bonitatis illius ac tolerantiæ lenitatisq; contemnis, ignorans, quòd bonitas Dei ad pœnitentiam te invitat?* Et istud Petri *2. Epi. 3. v. 9. Patiens est erga nos, dum non vult ullos perire, sed omnes ad pœnitentiam sese recipere.* Item illud Sap. 11. v. 24. *Dissimulas peccata hominum propter pœnitentiam.* & cap. 12. v. 10. *Partibus iudicans dabas locum pœnitentiæ, nõ ignorans, quoniam nequam est natio eorum, & naturalis malitia ipsorum, & quoniam non poterat mutari cogitatio illorum in perpetuum.* Et v. 20. *Inimicos servorum tuorum, & debitos morti, cum tanta cruciasti attentione, & liberasti, dans tempus & locum, per quæ possent mutari à malitia.* *Assumptio* patet ex iis, quæ dicta sunt superiùs.

CCI.

Unde colligitur, etsi difficulter emolleſcat, quod, Deo deſerente, ſemel induruit, non tamen omninò intercluſum eſſe reditum ad emollientem DEI gratiam. Id enim teſtatur μακροθυμία Dei, cujus finis *primarius* eſt, ut adducat pœnitentiam: & Judæorum exemplum, qui defracti ex olea, exaruerunt & induruerunt, quos tamen à

Deo rursum inseri posse affirmat Apostolus. *Rom. 11.v.23:* nec non oratio illa populi Dei, qua indurati, delictorum veniam petentes, dicunt: *Quare errare nos fecisti, Domine, de viis tuis: induraſti cor nostrum, ne timeremus te? convertere propter servos tuos, tribus hæreditatis tuæ.* Esa.63.v.17.

CCII.

Eodemque spectat illud *Augustini* in lib. 83. quæst. *Ex quo in paradiso natura nostra peccavit, ab eadem divina providentia non secundum cœlum, sed secundum terram, id est, non secundum spiritum, sed secundum carnem, mortali generatione formamur, & omnes una massa luti facimus, quod est massa peccati. Cum ergo meritum peccando amiseri-mus, & misericordia Dei remota, nihil aliud peccantibus, nisi æterna damnatio, debeatur, quid sibi vult homo de hac massa, ut Deo respondeat & dicat, quare me sic feciſti? Si vis ista cognoscere, noli esse lutum, sed efficere Filius Dei per illius misericordiam, qui dedit potestatem filios Dei fieri credentibus in nomine eius, non autem, quod tu cupis, antequam credant, divina nosse cupientibus.*

CCIII.

Quemadmodum verò *Hortulanus* ille, in parabola *Luc.13.v.6.7.8.9.* descripta, in vinea sua plantabat ficum, sanè ante omnia hoc fine & consilio, ut illa fructus idoneos afferret: eundemque ob finem non solùm toto triennio, licet nullum fructum ferentem, tolerabat, sed etiam cum jam succisurus esset, rogatus ab ἀμπελουργῷ, annum quar-

tum etiam indulgebat, quò fodicatione & stercoratione adjuta, fructus optatos tandem redderet: Deinde verò, cum omnis opera frustre, impenderetur, ex eventu parùm accepto, capiebat consilium de ficu penitus succidenda & exurenda: *Sic* Deus, quando hominẽ creaturus est, quia bonus est & misericors, ante omnia vult, ut multum fructum faciat & vivat; eundemque ob finem, non continuò est eversurus, qui non respondet eius voto; sed quia longanimis est & patiens, spacium resipiscendi concessurus & majoribus beneficiis ad resipiscendum invitaturus: Ubi verò videt, se istius finis comporem non fore, aliud è prævisoeventu consilium init, & *finis secundarios* jam præstituit, propter quos nihilominus hominem impium condere, eumque aliquousque, per *μακροθυμίαν* suam admirandam, sufferre velit.

CCIV.

Etsi enim, ut loquitur Syracides cap. 15. v. 22. 12. & 29. *Deus non concupiscit multitudinem filiorum infidelium & inutilium; nec ipsi necessarij sunt homines impij; nec cuiquam dat licentiam peccandi, nedum ut impiè agere cuiquam mandet:* attamen, ut habetur in lib. sentent. *Prosperi: Nullum Deus vel angelorum vel hominum crearet, quem malum futurum esse præscisset, nisi pariter nosset, quibus eos bonorum usibus commodaret, atq; ita ordinem seculorum, quasi pulcherrimum carmen, etiam ex quibusdam antithetis honestaret.* Et in lib. ad Bonifac. *Deus volens ostendere iram & demonstrare potenti-*

am ſuam, ſuſtinuit in multa patientia vaſa iræ, quæ perfecta ſunt in perditionem, & ut notas faceret divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ. Ecce etiam ratio reddita eſt homini, quanta debuit homini. Si tamen vel iſta capit, qui pro ſui arbitrii libertate, in tantæ infirmitatis ſervitute contendit. Ecce dictæ ſunt cauſæ. Tu ergo quis es, qui reſpondeas Deo? Si volens Deus oſtendere iram, & demonſtrare potentiam ſuam, quod & malis benè uti optimus poſſit, malis duntaxat non conditione divina, ſed vitiata voluntatis iniquitate natura, quæ à Deo conditore condita eſt bona, attulit in multa patientia vaſa iræ perfecta in interitum, non quòd illi eſſent neceſſaria ſive angelica, ſive humana peccata, cui nec iuſtitia creaturæ cuiuſquam eſt neceſſaria, ſed ut notas faceret divitias gloriæ ſuæ in vaſa miſericordiæ, ne ſe in bonis operibus, tanquam de propriis extollerent viribus. ſed humiliter intelligerent, niſi illis Dei gratia, non debita, ſed gratuita ſubveniret, id fuiſſe reddendum meritis ſuis, quod aliis in eadem maſſa redditum cernerent.

CCV.

At quinam iſti ſunt *Fines?* Tres hîc deſignantur ab Apoſtolo. *Primus:* ut in eiuſmodi vaſis, quorum uſus alius non datur, oſtendat ſuam iram: hoc eſt, ut in vindicta, quam de ipſis ſumet, demonſtret, ſe toto animo averſari, abominari & odiſſe peccatum, per quod vaſa iræ fiunt; ne dum ut illius ſit autor, aut approbator. *Secundus:* ut notam faciat potentiam ſuam, quæ agnoſcitur, quando in

do in ordinem cogit refractarios, deponit potentes, & dispergit superbos mente cordis sui: sicuti paulo antè è *versic. 17.* de Pharaone est dictum. Quale verò specimen potentiæ divinæ id esset, si Deus evertat, quod ipse finxisset? An ut pueri turriculas excitant, quas per σκιομαχίαν rursum solo æquant? *Tertius:* ut divitiæ gloriæ suæ erga vasa misericordiæ illustriores appareant.

CCVI.

Dicuntur autem *vasa misericordiæ*, in quæ Deus gratiam suam effundit, dum gratis eligit & adoptat, *Eph. 1. v. 3.* gratis ad imaginem suam creat, *Gen. 1. v. 26. 27.* gratis filium donât, *Iohan. 3. v. 16.* gratis vocat, *2. Tim. 1. v. 9. 10.* gratis regenerat, *Tit. 3. v. 5.* gratis iustificat, *Rom. 3. v. 24.* gratis renovat, *Tit 3. v. 5.* & gratis aliquando glorificabit, *Rom. 8. v. 30. 31.* Unde *Augustinus* in lib. de prædest. & grat. *Quando pater intus auditur & docet, ut veniatur ad filium, aufert cor lapideum, & dat cor carneum, sicut Propheta prædicante promisit. Sic quippe facit filios promissionis & vasa misericordiæ, quæ præparavit in gloriam.*

CCVII.

Quomodo verò divitiæ gloriæ Dei erga vasa misericordiæ inde innotescant, multis in locis exponit *Augustinus.* In epistola ad Sixtum presbyt. *In vasis,* inquit, *quæ perfecta sunt ad perditionem, quæ damnata debita est massa, agnoscant vasa, ex eadem massa in honorem facta, quid eis misericordia divina largita sit.* Item: *An non habet potestatem*

figulus

figulus luti ex eadem massa, utique meritò rectè damnata, facere aliud vas in honorem indebitum, propter misericordiæ gratiam, aliud in contumeliam debitam propter iræ iustitiam: & ut notas faceret divitias gloriæ suæ in vasa misericordiæ, sic ostendens quid eis largiatur, cum id supplicium recipiant vasa iræ, quod pariter omnibus debebatur? Item in Enchiridio: *Universum genus humanum tam iusto iudicio divino in apostatica radice damnatum, ut etiamsi nullus inde liberaretur, nemo rectè posset Dei vituperare iustitiam, ut ex pluribus non liberatis atque in damnatione iustissima derelictis ostenderetur quid commeruisset universa conspersio, & quò etiam istos debitum iudicium Dei duceret, nisi eis indebita misericordia subvenisset: ut volentium de suis meritis gloriari omne os obstruatur, & qui gloriatur in Domino glorietur.* Item in serm. de verbis Apost. II. *Una erat massa perditionis ex Adam, cui non nisi supplicium debebatur. Facta sunt vasa inde in honorem ex eadem massa. Qua massa? Certe iam perierat. Certè iam illi massæ iusta damnatio debebatur. Gratulare quia tu evasisti. Mortem quippe debitam evasisti, & vitam non debitam reperisti. Habet potestatem figulus luti ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud in contumeliam.* Item in tract. in Psal. 58. *Quantam circa me habuit misericordiam, in illis mihi demonstravit, circa quos non habuit. Nisi enim debitor suspendatur, minus agit gratias, cui debitum relaxatur.* Rursum in Epist. ad Sixtum Presbyt. *Debita redditur pœna damnato,*

inde-

indebita gratia liberato, ut nec ille se indignum queratur, nec dignum se iste glorietur, ubi una eademq; massa damnationis & offensionis involvit: ut liberatus de non liberato discat, quod etiam sibi supplicium conveniret, nisi gratia subveniret. Si autem gratia, utiq; nullis meritis reddita, sed gratuita bonitate donata.

CCVIII.

Quartò Apostolus *diversimodè* loquitur de vasis iræ, & de vasis misericordiæ. *Deum vasa misericordiæ in gloriam præparâsse.* v. 23. disertè dicit. At de vasis iræ non enunciat idem. *In interitum* quidem *apparata* illa esse dicit: sed à Deo ita apparata esse, non edisserit. Immò à Deo ita nō esse apparata, innuit. Etsi enim, quâ homines, sunt opus manuum Dei: attamen quâ sunt vasa iræ, sui autorem & approbatorem habent Satanam, qui peccat ab initio, *1. Ioh. 3. v. 8.* & hominē illum unum, per quem peccatum in mundum introiit. *Rom. 5. v. 12.* suamque voluntatem perversam, qua consilium DEI adversus seipsum spernunt, *Luc. 7. v. 8.* Spiritui S. resistunt, *Act. 7. v. 51.* sermonem Dei repellunt, & seipsos vita æterna judicant indignos: *Act. 13. v. 46.* non verò Deum ter optimum.

CCIX.

Idquod, præter cætera, etiamnum tali astruitur *argumento*:

Si Deus (1) etiam eos, qui pereunt, volebat salvos fieri, (2) & pro illis filium suum in mortem tradidit, (3) iisdemque Evangelium gratiæ annunciari voluit, (4) nec vult damnare quenquam, ni-

si qui

si qui pronâ voluntate sua contempta, non credit Evangelio: sequitur, Deum non esse autorem & approbatorem, seu causam per se, illius duriciei, per quam constituuntur vasa iræ.

Atqui Deus (1) etiam eos, qui pereunt, volebat salvos fieri. *Ezech.18.v.33. Luc.7.v.30. Matth.23. v.37. Luc.13.v.9.* (2) & pro illis filium suum in mortem tradidit. *Matth.22.v.4. Rom.14.v.16. 2.Pet.2.v.1. Heb.6.v.6. Heb.10.v.30.* (3) iisdemq; Evangelium gratiæ annunciari voluit. *Matth.22. v.3.4. Matt.23.v.38. Luc.14.v.24. Act.13.v.46.* (4) nec vult damnare quenquam, nisi qui propitia sua voluntate contempta, non credit Evangelio: ut suprà in fine occupationis prioris est dictū.

Ergo DEUS non est autor & approbator, seu causa per se, illius duriciei, per quam constituuntur (puta, formaliter) vasa iræ.

CCX.

Sed occinis: *Si figulus non tantùm est factor ollæ, quâ olla est, sed etiam quâ vas est dedecoris, etiam Deus, quem figulo Apostolus assimilabat, non tantùm est factor hominis, quâ homo est, sed etiam, quâ vas est iræ.*

Antecedens verum.

Verum igitur & Consequens.

CCXI.

Dici fortè possit: esse quidem figulum factorem ollæ, quâ olla est, non tamen qua est vas dedecoris. Id enim pendere non ab arbitrio figuli, sed à conditione massæ, quæ sit lutum, è quo non

nisi

nisi lutea & dedecoris vasa effingi possint, nisi figulus peculiari opera & consilio gemmas, flores, aliáve ornamenta superaddat, per quæ evadat vas ad decus. Qua ratione negaretur *Assumptum*.

CCXII.

Sed ut in figuli arbitrium, de quo ab initio hujus *Occupationis* est dictum, res tota rejiciatur; qui è massa, indifferente ad utrumvis, pro libitu suo, formet modò vas honoris, modò vas ignominiæ; *Connexum* tamen ipsum nullo modo procedit. Neque enim necesse est, ut quæ sunt similia in uno vel altero, sint similia in omnibus. Deus & figulus qua in parte comparentur ab Apostolo, antea est expositum. In hac verò parte, qua fulcitur *Connexum*, est ingens *Dissimilitudo*

CCXIII.

Præterquam enim, quòd Deus vasa iræ coagmentare non dicitur, si massa figuli est indifferens, ut inde existant, pro libitu figuli, vasa honoris vel ignominiæ: certè massa, è qua fiunt vasa iræ, non est indifferens, sed talis, è qua non nisi sordida vasa, in quæ Deus iræ suæ feces effundit, nisi interveniat misericordia eius, prodire queant. Non enim massa illa est gleba, è qua conditus est Adamus, quo facto, *vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Gen. 1. v. 31. sed natura hominis, bona quidem condita, in Adamo verò corrupta.

CCXIV.

Qua de re testantur sententiæ *Augustini*: In lib. ad Bonifacium: *Hæc massa si esset utiq; media, ut*

quem-

quemadmodum nihil boni vel mali aliquid merentur, non frustra videretur iniquitas, ut ex ea fierent vasa in contumeliam. Cum verò per liberum arbitrium primi hominis in condemnationem universa defluxerit, procul dubio quòd ex ea fiunt vasa in honorem, non ipsius justitiæ quæ gratiam nullam præcessit, sed Dei misericordiæ est: quod verò in contumeliam, non iniquitati Dei, quæ absit ut sit apud Deum, sed judicio deputandum est. Lib. 1. ad Simplician. quæst. 2. *Una est ex Adam massa peccatorum & impiorum, in qua & Iudæi & gentes remota gratia Dei ad unam pertinent consperſionem.* In Enchiridio ad Laurent. *Sola gratia redemptos discernit à perditis, quos in una perditionis concreaverat massa, ab origine ducta causa communis.* Item: *Sic factus est homo rectus, ut manere in ea rectitudine posset non sine divino adiutorio, & suo fieri perversus arbitrio. Utrum libet horum elegisset, Dei voluntas fieret, aut etiam ab illo, aut certè de illo. Proinde quia sua maluit facere quam Dei, de illo facta est voluntas Dei, quia ex eadem massa perditionis, quæ de illius stirpe profluxit, facit aliud vas in honorem aliud in contumeliam. In honorem per misericordiam, in contumeliam per judicium, ut nemo glorietur in homine, ac per hoc nec in se.* In tractatu 87. in Johan. *Ex eadem massa, quæ tota in Adam perijt, fiunt vasa misericordiæ, in quibus est mundus pertinens ad reconciliationem, quem mundus odit ex eadem massa pertinens ad vasa iræ, quæ perfecta sunt in perditionem.* Item in Epist. ad optatum

episc.

epiſc. *Merito videretur iniuſtum, quod ſiunt vaſa iræ ad perditionẽ, ſi non eſſet ipſa univerſa ex Adam maſſa damnata. Quòd ergo ſiunt inde naſcendo vaſa iræ, pertinet ad debitam pœnam: Quòd autem ſiunt renaſcendo vaſa miſericordiæ, pertinet ad indebitam gratiam.*

CCXV.

PARTIS II. MEMBRVM TERTIUM.

HUcusque *Secundum membrum* Reſponſionis Apoſtolicæ ad *Iudaicum Argumentum* proſecuti ſumus; in quo diutiùs commorandum fuit, cùm, ut enodarentur *Prolepſes* illæ, quas Apoſtolus intexuit, tùm ut demonſtraretur, quàm protervè facerent Abſoluti decreti Patroni, qui cauſæ ſuæ ἀκρόπολιν in hoc Pauli contextu collocant, qui verò tantoperè ab illorum blaſphemia abhorret. Videlicet uſu venit illis, quòd caveri monebat *Auguſtinus* in Epiſt. 105. ſcribens: *Neminem Deus liberat, niſi gratuita miſericordia, & neminem damnat, niſi æquiſſima veritate. Cur autem illum potiùs, quàm illum liberet, aut non liberet, ſcrutetur, qui poteſt judiciorum eius tam magnum profundum; Veruntamen caveat præcipitium.* Progredimur nunc ad *tertium* membrum, quod ſicuti & *quartum*, paucioribus expediri poteſt.

CCXVI.

Cum verò in antecedente *Membro* Apoſtolus ad *Propoſitionem* Judaici argumenti: *Quos Deus per*

us per ampliſſimas promiſſiones & prærogati-
vas ſemel adoptavit, eos jã non poteſt abijcere.
ita reſponderet, ut demonſtraret contrarium, eóſ
que modo, illam negandam eſſe ſignificaret: hîc
reſpondet per *Diſtinctionem:* quam tamen inſi
nuat potiùs, quàm expreſsè ponit.

CCXVII.

Diſtinguit enim inter *Abjectionem ſimpliciter & ſine exceptione univerſalem*, quæ ad unum o-
mnes comprehendat: Et inter *Abiectionem quadantenus univerſalem*, nempè, *quoad partem maximam*; quæ quidem exceptionem aliquam ad
mittat, ſed tamen complectatur tantam multitu-
dinem, ut præ illa reliqui vulgò in nullo numero
habeantur. De *Abjectione ſimpliciter univerſali*
concedit, DEUM Judæos, quos per ampliſſimas
promiſſiones & prærogativas ſemel adoptârit, tali
Abjectione rurſum non abjicere. Ideoq́; ſi iſtam
Judæi ſuo argumento elidere voluiſſent, admiſſus
fuiſſet error παρ' ἄγνοιαν ξ ἔλεγχος. At de *Abjectione quoad partem maximam*, de qua Apoſtolo
ſermo erat, non concedit.

CCXVIII.

Quod verò concedit, id rectè à ſe concedi, e-
vincit *verſ. 24.25.26.27.28.29.* quorum ſumma
redigitur ſub tale *Connexum:*

Si quidam ex Judæis ſunt vaſa miſericordiæ, ꝛ
Deo parata in gloriam, ſequitur, Deum Judæos, quos
per ampliſſimas promiſſiones & prærogativas ſemel

adoptavit, non abjicere Abiectione simpliciter, & sine omni exceptione penitus universali.

Antecedens est verum.

Quare & Consequens.

CCXIX.

Propositio clarior est, ut habet proverbium, luce meridiana. Τὸ μεταλαμβανόμενον continetur in *versu 24.* qui ita sonat: *Quos vocavit, nos non solùm ex Iudæis, verùm etiam ex Gentibus.* Ubi non tantùm Judæorum, sed per *Comparationem majoris*, ut Logicæ scholæ loquuntur, etiam Gentilium, qui per vocationem DEI, puta, fide susceptam, evaserint vasa misericordiæ, mentionem facit. *Ad misericordiam quippe gratuitam, non debitam, pertinet*, inquit Augustinus in lib. con. Julian. *de massa damnationis vasa in gloriam præparare, non solùm ex Iudæis sicut dixit, sed etiam ex gentibus.*

CCXX.

Idque propter Judæos, quibus assumptio Ethnicorum in regnum Messiæ incredibilis penitus erat. Quâ verò persuasâ, faciliùs credi poterat, Deum suum populum non ita abjecisse penitus, quin aliqui serventur; sicuti infrà *cap. 11.* ex insitione gentilium concludit, faciliùs insitum iri Judæos, quando *v. 24.* scribit: *Situ ex naturali exectus es oleastro, & præter naturam insitus es in veram oleam: quantò magis hi, qui naturales sunt, inserentur propriæ oleæ?*

CCXXI.

Ean-

Eandem ob causam *membrum* utrunque *versiculi* illius 24. probaturus, anteriore loco *Posterius* illud, quod dixerat de vasis misericordiæ; quæ Deus è Gentibus vocat & præparat, probandum suscipit. Idque exequitur *testimonijs duobus*, è vaticiniis Oseæ Prophetæ desumptis. *Prius*, quod recitatur *versic. 25.* habetur apud Prophetam *cap. 2. versic. 23.* dicente Domino: *Vocabo populum, qui meus non erat, populum meum: Et eam, quæ dilecta non erat, dilectam.* *Alterum*, quod ab Apostolo commemoratur *versic. 26.* extat apud eundem Prophetam *cap. 1. v. 10.* rursum dicente Domino: *Et erit in loco, ubi dictum fuerat eis, Non populus meus vos: ibi vocabuntur Filij Dei.*

CCXXII.

Utrobique de Ecclesia, è Gentibus colligenda, & iis in locis exoritura, ubi priùs Ecclesiæ nomen nullum erat, atque ita de vasis misericordiæ, quæ è Gentibus præparanda erant, sermonem esse, planissimum est. Unde verò argumentum existit tale:

Quoscunq; Deus vocaturus erat populum suum dilectam suam, filios suos, ij futuri erant vasa misericordiæ Dei.

Atqui Gentiles Deus vocaturus erat populum suum, dilectam suam, filios suos.

Ergo Gentiles futuri erant vasa misericordiæ.

CCXXIII.

Propositio per se est perspicua: Quippe quos Deus populum suum, dilectam suam, filios suos vocat & facit, eos, non nisi per immensam miseri-

cordiam ſuam, ita vocat & facit. Juxta illa *Pſal. 100. v. 3. 4. 5. Ipſe eſt Deus: Ipſe fecit nos, & non ipſi nos; Populus eius, & oves paſcuæ eius: introite portas eius in confeſſione, atria eius in hymnis: Confitemini illi; Laudate nomen eius: quoniam bonus eſt Dominus, in aternum miſericordia eius, & uſque in generationem, & generationem veritas eius.* Oſe. 2. v. 19. 20. *Sponſabo te mihi in iuſtitia & iudicio, & in miſericordia & in miſerationibus. Et ſponſabo te mihi in fide: & ſcies quia ego ſum Dominus.* & *v. 23. Seminabo eam mihi in terram & miſerebor eius, quæ fuit abſque miſericordia. Et dicam non populo meo: Populus meus es tu: & ipſe dicet: Deus meus es tu.*

CCXXIV.

Aſſumptio nititur verbis Domini, per Oſeam enunciatis. Aut enim Judæi erant populus ille, de quo aliquando dicturus erat Dominus: populus meus, dilecta mea, filii mei; aut Gentiles. At non Judæi: qui partim populus Dei iam tum erant, partim eſſe deſierant, quibus ideo abiectionem & excidium comminatur: Juxta illud Oſe. 1. v. 6. 7. *Non addam ultrà miſereri domui Iſrael, ſed oblivione obliviſcar eorum. Et domui Iuda miſerebor, & ſalvabo eos in Domino Deo ſuo: & non ſalvabo eos in arcu, & gladio, & in bello, & in equis & in equitibus.* Ergo Gentiles: utpote quorum in loco non erat auditum illud: *Populus meus vos.*

CCXXV.

Quibus ſuffragatur *Petrus*, ad Gentes converſas, *Epiſt. 2. v. 10.* ſcribens: *Qui quondam eratis non*

popu-

populus, nunc populus Dei: qui quondam non consecuti misericordiam, nunc estis misericordiã consecuti

CCXXVI.

Nec officit, quod *Ose. 1. vers. 11.* dicitur: *Congregabuntur filij Iuda & filij Israel pariter: & ponent sibimet caput unũ, & adscendent de terra: quia magnus dies Iezrael.* Nam quis sit horũ verborum sensus, intelligi poterit ex iis, quę Augustin. lib. 18 de civ. Dei, de allegato testimonio scribit: *Hoc testimonium, inquiens, propheticum de vocatione populi gentium, qui prius non pertinebat ad Deum, Apostoli intellexerunt. Et quia ipse quoq; populus gentium Spiritualiter est in filijs Abrahæ, ac per hoc rectè dicetur Israel, propterea sequitur & dicit: Et congregabuntur filij Iuda & filij Israel in idipsum, & ponent sibi principatum unum & ascendent à terra. Hoc si adhuc velimus exponere, eloquij prophetici obtundetur sapor. Recolatur tamen lapis ille angularis & duo parietes, unus ex Iudæis, alter ex gentibus, ille nomine filiorum Iuda, iste nomine filiorum Israel, eidem uni principatui suo in idipsum innitentes, & ascendentes agnoscantur à terra.*

CCXXVII.

Ostenso *posteriori* versiculi 24. membro, aggreditur *prius* & id, quod paulò antè dixerat de vasis misericordiæ, quæ è Judæis à Deo vocentur & præparentur in gloriam: totidemq; illud demonstrat testimoniis, è vaticiniis Esaiæ Prophetæ petitis. *Neq; enim*, scribit Augustiuús in lib. con. Judæos, *quia fracti sunt infideles & superbi, ac per hoc*

infructuosi rami, ut insereretur oleaster gentium, ideo perire potuit radix Patriarcharum & Prophetarum.

CCXXVIII.

Prius testimonium, quod *vers. 27. & 28.* commemorat, habetur apud Prophetam, *cap. 10. v. 22. 23. Esaias*, inquit, *clamat super Israel, si fuerit numerus filiorum Israel, ut arena maris, reliquiæ salvæ erunt. Sermonem enim perficiens & abbrevians cum iustitia: quoniam sermonem abbreviatum faciet Dominus in terra.* Ubi quod de *sermone abbreviante* dicitur, ab *Augustino* in lib. ad Simplician. Episc. exponitur hisce: *Verbum consummans & brevians faciet Dominus super terram, id est, ut compendio fidei per gratiam salvos faciat credentes, non per innumerabiles observationes, quibus illa multitudo serviliter onerata premebatur. Per gratiam nobis quippe verbum consummans dicit: Iugum meum leve est, & sarcina mea levis est.*

CCXXIX.

Sequitur autem Paulus translationem LXX. Interpretum, cui Romani, ad quos Epistolam istam exarabat, assueverant. Nam ex Hebræo textu ita illud habet: *Si fuerit populus tuus Israel, velut arena maris, residuum convertetur in eo: Consummatio decisa inundans iustitiam*, seu, ut vertit Pagninus, *inundat propter iustitiam. Quia consummationem & decisam Dominus exercituum faciens, in interiori* (Pagninus, *in medio*) *universæ terræ.* Paulò seciùs Versio vulgata: *Si fuerit populus tuus Israel, quasi arena maris, reliquiæ convertentur ex*

eo, con-

eo, consummatio abbreviata inundabit iustitiam. Consummationem enim, & abbreviationem Dominus Deus exercituum faciet in medio omnis terræ.

CCXXX.

Posterius testimonium, quod Apostolus v. 29. adducit, extat aquod Propheram eundem *cap. 1. v. 9.* Verba Apostoli ita sonant: *Et quemadmodum priùs dixit Esaias: Nisi Dominus Sabaoth reliquisset nobis semen, ut Sodoma facti fuissemus, & Gomorrhæ assimilati fuissemus.* Ubi rursus tenorem translationis LXX. Interpr. tenet. A quo vetus & vulgata parum discrepat, in qua ista verba ita leguntur: *Nisi Dominus exercituum reliquisset nobis semen, quasi Sodoma fuissemus, & quasi Gomorrha similes essemus.*

CCXXXI.

Utriusque testimonii est eadem sententia, conveniens *proposito* Pauli, & *Assumpto* superioris *Connexi*, quod erat probandum. Significatur enim *priori* vaticinio, futurum esse tempus, quo Deus populum Judaicum tam numerosum, tam copiosum, ut frequentia eius arenam maris exæquare videatur, celeriter & tanquam per quoddam abbreviationis compendium, ob desperatam ingratitudinem suam, sit quidem excisurus & eversurus, sed tamen ita, ut aliquæ reliquiæ eius ad salutem sint reservandæ. Hoc enim modo *consummationem* illam convenientiùs exponi posse arbitror, cum ob Prophetiam *Danielis* cap. 9. v. 26 tum ob verba illa *Domini*, Matth. 24. v. 22. *Nisi de-*

curtati fuissent dies illi, non fieret salva omnis caro: sed propter electos decurtabuntur dies illi.

CCXXXII.

Nec refragatur Paraphrasis Chaldaica: *Si fuerit populus tuus domus Israel multus, sicut arena maris, illis reliquiis, quæ non peccaverunt, & quæ conversæ sunt a peccato, sient magnalia, quæ prævalebunt, & ducentur in iustitia. Quia consummationem & consumptionem Dominus Deus exercituum faciet in omnibus impiis terræ.*

CCXXXIII.

Eadem est vis testimonii *Posterioris*. Indicat enim Propheta, Deum tanta ira adversus populum Judaicum, ob scelera ejus, exarsisse, ut parùm abfuerit, quin παναλεθείᾳ quadam illum exciderit, quomodo olim Sodomam & Gomorrham everterit, in quibus, ceu vasis iræ, iram & potentiam suam intuendam exhibuerit: veruntamen relictos fuisse aliquos, ceu vasa gratiæ, & semen electum, in quo res, aliâs mortuæ & exciſæ, reviviscere possint. Consonat hisce *Paraphrasis Chaldaica*, quæ ita habet: *Nisi surperexcedens bonitas Domini exercituum reliquisset nobis redemptionem in miserationibus suis; peccata sunt in nobis, propter quæ quasi viri Sodomæ perissemus: Et quasi habitatores Gomorrhæ consumpti essemus.*

CCXXXIV.

Proinde *Prosyllogismus Assumpti in Connexo* ex istis emergit talis:

Quos Deus ita erat abiecturus & excisurus, ut

tamen

tamen ex illis aliquas reliquias & ſemen aliquod eſſet conſervaturus, ex iis neceſſe eſt, ut quidam ſint vaſa miſericordiæ, à Deo in gloriam præparata.

Atqui Judæos Deus erat ita abiecturus & exciſurus, ut tamen ex iis aliquas reliquias, & ſemen aliquod eſſet conſervaturus.

Ergo ex Iudæis neceſſe eſt, ut quidam ſint vaſa miſericordiæ, à Deo in gloriam præparata.

CCXXXV.

Propoſitio per ſe clara eſt. *Aſſumptio* inclareſcit ex oraculis Eſaiæ, ab Apoſtolo allegatis. Firma itaque eſt *Complexio.* Et proinde Abjectio illa Judæorum, quos Deus per ampliſſimas promiſſiones & prærogativas adoptârat, non eſt ſimpliciter & ſine omni exceptione univerſalis, ſed tantùm dicitur talis, ob maximam partem eorum, qui pereunt.

CCXXXVI.

Eodemque ſpectat Diſputatio Apoſtoli inſequente *cap. 11.* Ubi Apoſtolus *v. 1.* negat, *Deum populum ſuum abieciſſe:* quem abiectum eſſe, eousque contenderat: nempe, quia non ita univerſali abiectione abiectus ſit, quin nonnulli ex illo ſalvi evadant. Nam & ſe ex illo populo oriundum eſſe *v. 1.* Et, ſicut Elias audierit, Deum ſibi ſeptem millia reliquiſſe eorum, qui poplitem Baali non flexerint, quando ille ſe ſolum relictum opinabatur *v. 4. 3.* ita etiamnum Deum in populo iſto habere ſuos electos, qui conſequantur, quod Iſrael communiter non aſſequatur, *v. 5. 7.* & fieri poſ-

se, ut rami per incredulitatem defracti, denuò inserantur. *v. 14. 15. 16. 17. 23. 24. &c.*

CCXXXVII.

Unde conjicere licet, quantum momenti Apostolus huic solutioni, quam à conservatione electarum reliquiarum petit, tribuat. Ut intelligerent Judæi, non posse Deum, qui per tantas promissiones & prærogativas Judæos adoptârit, insimulari violatæ fidei, aut justitiæ; etsi totam multitudinem non servet, sed maximam illius partem, ob contemptum Evangelii, abjiciat; dum tamen fidem suam in Electis illis servet, eodemque modo, quàm benè omnibus voluerit, declaret.

CCXXXVIII.

Pertinent huc illa *Augustini*: In tractatu in *Psal. 78. Quod ait Apostolus, Non repulit Deus plebem suam, quam præscivit, illi Psalmo utiq; respondet, ubi scriptum est: Quoniam non repellet dominus plebem suam. Ibi autem sequitur: Et hæreditatem suam non derelinquet. Ubi evidenter apparet, talem plebem esse hæreditatem Dei. Ut enim hoc diceret Apostolus, suprà commemoraverat propheticum testimonium de pronunciata futura incredulitate populi Israel: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem. Hic ergo ne quisquam malè intelligens, universum illum populum crimine incredulitatis & contradictionis arbitraretur esse damnatum, continuò subjecit. Dico ergo, Numquid repulit Deus plebem suam? Absit. Nam & ego Israelita sum, ex genere Israel, de tri-*

bu Ben-

bu Benjamin. Item in lib. de dono perſev. *Superiùs dixerat, ad Iſrael dixiſſe Prophetam: Tota die expandi manus meas ad populum non credentem & contradicentem. Et tanquam reſponderetur, ubi ſunt ergo factæ promiſſiones Dei ad Iſrael? Continuò ſubiunxit: Dico ergo. Nunquid repulit Deus plebem ſuam? Abſit. Nam & ego Iſraelita ſum ex ſemine Abraham de tribu Benjamin.* Item in tract. in Pſal. 94. *Quam plebem non repellet? Hic nobis interpretari aliquid non licet. Præſcriptum habemus ab Apoſtolo, expoſuit hoc Apoſtolus, unde ſit dictum. Erat enim plebs Iudææ, plebs ubi fuerunt Prophetæ, plebs ubi fuerunt Patriarchæ, plebs etiam ſecundum carnem propagata de ſemine Abrahæ, plebs, in qua præceſſerunt omnia ſacramenta, ſalvatorem noſtrum promittentia, plebs ubi inſtitutum eſt templum, unctio, ſacerdos ad figuram, ut cum omnes ipſæ umbræ præterirent ipſa lux adveniret. Erat ergo iſta plebs Dei, ad eam Prophetæ miſſi, in illa nati qui miſſi, ei tradita & credita eloquia Dei. Quid ergo? Totum illud damnatum eſt? Abſit. Arbor olivæ ipſa dicta eſt ab Apoſtolo. Cœpit enim iſta arbor à Patriarchis. Sed fuerunt ibi rami aridi, quia nimis alti per ſuperbiam. Præciſa ergo illa propter ſteriliatem, inſertus eſt oleaſter propter humilitatem.* Et paulò pòſt: *Si aliqui ex ramis fracti ſunt, non omnes. Nam ſi omnes rami frangerentur, unde Petrus, unde Ioannes, unde illi omnes Apoſtoli? unde ipſe Paulus Apoſtolus loquebatur, & ſuo fructu olivam teſtabatur? nonne iſti omnes inde? Vnde etiam quin-*

am quingenti illi fratres, quibus dominus post resurrectionem apparuit? Unde tot millia ad vocem Petri, quando spiritu sancto repleti Apostoli omnium gentium linguis locuti sunt, tanta aviditate Dei laudis & suæ accusationis conversa sunt, ut qui primò sanguinem Domini fuderant sævientes, bibere discerent iam credentes? Item: *Utiq; si repelleret Dominus plebem suam, non esset unde ipse esset Apostolus. Unde autem ipse, inde & alij. In his plebs domini. Non in omnibus, sed quemadmodum scriptum est, reliquiæ salvæ erunt. Non in omnibus, sed area ventilata massa intromissa est, palea iacet. Totum quicquid vides Iudæorum reproborum, paleam vides. Unde vides istam paleam, iam inde exijt massa, iam in horreo recondita est.*

CCXXXIX.

PARTIS II. MEMBRVM QUARTUM.

TANTUM de *membro tertio* Responsionis Apostolicæ ad Judaicum *argumentum:* restat *Quartum & ultimum*, quo rursum ad Judaici Syllogismi *Propositionem* respondetur.

CCXL.

Quia enim in Propositione illa dictum erat: *Quos DEVS per amplissimas promissiones & prærogativas semel adoptavit, eos jam non potest abjicere:* Apostolus postquam in præcedenti membro Prophetricis testimoniis confecerat, maximam Judæorum turbam, pauculis reliquiis

quuis ſervatis, fuiſſe abjiciendam & perimendam, in *ultimo* hoc membro cauſam iſtius abiectionis ita inveſtigat, ut ſimul appareat, ſi ad Judæorum argumentum, uti par eſt, ea, quæ hîc dicuntur, referantur, ipſum Propoſitionem illam rurſum per *Conceſſionem* quandam admittere: non tamen ſimpliciter, ſed cum *Conditione.*

CCXLI.

Illa verò conditio eſt *Conditio fidei & obedientiæ. Quos Deus per ampliſſimas promiſſiones & prærogativas adoptavit ſemel, eos:* ut hîc de abſoluta Dei poteſtate ampliùs non loquatur: *iam non poteſt abjicere:* ſcilicet; *ſi modo Evangelio gratiæ credant; & Chriſtum ſalutis ſuæ principem recipiant.* Quod verò Judæos nō feciſſe, cùm hoc in loco, tùm in ſequentibus *capitibus*, decimo & undecimo, abundè docet. Cumq; in argumento ſuo conditionem iſtam omitterent, admittebant in eo *errorem* περὶ τὸ πῆ, ὡς ὁπωσοῦν.

CCXLII.

Argumentum itaque, ἐλεγχτικῶς *Propoſitioni* Judaicæ opponendum, erit tale:

Si Iudæi Evangelium gratiæ & Chriſtum ſalutis Principem abiecerunt, utique Deus illos, quamvis per ampliſſimas promiſſiones & prærogativas priùs adoptatos, abjicere jam poteſt.

Antecedens eſt verum.

Verum igitur & Conſequens.

CCXLIII.

Connexum robur ſuum accipit è vulgato Theo-

logo-

logorum *Theoremate: Promissiones Dei annexam habent conditionem fidei & obedientiæ:* Qua stante, vigent illæ; qua deficiente, extabescunt illæ. Quæ verò aliâs ἐπαγγέλια, aliâs verò ἀποφάνσις expriimitur. Juxta ista: Deut. 28. v. 1. 2. *Si audieris vocem Domini Dei tui, ut facias, atq; custodias omnia mandata eius, quæ ego præcipio tibi hodiè, faciet te Dominus Deus tuus excelsiorem cunctis gentibus, quæ versantur in terra. Venientq; super te universæ benedictiones istæ: & apprehendent te: si tamen præcepta eius audieris.* Item: *1. Sam. 2. v. 29. 30.* ait Dominus ad Heli sacerdotem: *Quare conculcastis vindictam meam & munera mea, quæ præcepi, ut offerantur in templo, & magis honorasti filios tuos, quàm me, ut saginaretis vos de primitius omnis sacrificij Israel, populi mei? Propterea ait Dominus Deus Israel: Loquens, locutus sum, ut domus tua & domus patris tui, ministraret in conspectu meo usq; in sempiternum. Nunc autem dicit Dominus, absit hoc à me: sed quicunq; honorificaverit me, glorificabo eum: qui autem contemnunt me, vilipendentur.* Item: *Ierem. 18. v. 9. 10.* dicit Dominus ad Prophetam: *Subitò loquar de gente, & de regno, ut ædificem & plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis, ut non audiat vocem meam: pœnitentiam agam super bono, quod locutus sum, ut facerem ei.*

CCXLIV.

Præcipuè verò huc tendit illud Apostoli *Rom. 11. v. 19. 20. 21. 22.* ad Gentiles scriptitantis: *Dices defra-*

defracti sunt rami, ut ego inserer er. Bene dicis: per incredulitatem defracti sunt, tu verò fide constitisti: ne efferaris animo, sed timeas. Nam si Deus naturalibus ramis non pepercit, vide ne quâ fiat, ut nec tibi parcat. Videtgitur bonitatem ac severitatem Dei. in eos quidem qui cecidernnt, severitatem: in te verò bonitatem, si per manseris in bonitate, alioqui & tu excideris.

CCXLV.

Quibus de verbis ita commentatur Augustinus in lib. adverſ. Judæos: *Hæc sive gratanter, sive indignanter audiant Iudæi, nos tamen, ubi possumus, cum eorum dilectione prædicemus, nec superbè gloriemur adversus ramos fractos, sed potiùs cogitemus, cuius gratia & quanta misericordia & in qua radice inserti simus, ut non alta sapiamus, sed humilibus consentientes, ne his cum præsumptione insultando, sed cum timore exultando, dicamus: Venite ambulemus in luce domini, quoniam magnum nomen eius in gentibus. Si enim audierint & obaudierint, erunt inter eos, de quibus dictum est: Accedite ad eum & illuminamini, & vultus vestri non erubescent. Si autem audiunt & non obaudiunt, vident & invident, inter eos sunt, de quibus dictum est: Peccator videbit & irascetur, dentibus suis frendet & tabescet. Ego autem (dicit Ecclesia Christo) velut oliva fructifera in domo Dei, speravi in misericordia Dei in æternum & in seculum seculi.* Item in sermone de sacrificio vespertino: *Iudæi olim vocati ex Aegypto, liberati in manu potenti, per rubrum ma-*

re tra-

re traiecti, per ſiccum evadentes, hoſtibus inſequentibus carentes, manna paſti, de ſervitute eruti, adregnum perducti, tot beneficiis empti, in oliva erant, ſuperbiendo fracti ſunt. Oleaſter contemptibilis per totum mundum erat, illo totus mundus horrebat ſylveſtri oleaſtro, ſed tamen per humilitatem ibi meruit inſeri, unde oliva ſuperbiendo præcidi. Et paulò pòſt: *Vide oleaſtrum dignum inſeri, centurionem illum non de Iſraelitis, ſed de gentibus. Domine non ſum dignus, ut ſub meum tectum intres. Et Dominus: Amen dico vobis, non inveni in olea quod inveni in oleaſtro. Ergo oliva ſuperbiens præcidatur, oleaſter humilis inſeratur. Vide inſerentem vide præcidentem. Propterea dico vobis, quia multi ab oriente & occidente venient. Multus veniet oleaſter, inſerendus in oliva. Et recumbent cum Abraham, Iſaac & Iacob in regno cœlorum. Audiſti quemadmodum humilis inſeratur oleaſter: audi quemadmodum oliva ſuperba præcidatur: Filij autem regni ibunt in tenebras exteriores, ibi erit fletus & ſtridor dentium.*

CCXLVI.

Aſſumptum eſt *bimembre*. Membrum *prius* eſt, *Quod Iudæi Evangelium gratiæ abiecerint.* Quod quidem ſitum eſt in *verſic. 32.* non tamen Ἀναφορικῶς ibi exprimitur, ſed per conſequentiam facilè inde efficitur. Poſtquam enim in *verſic.* antecedente 31. per *Communicationem Rhetoricam*, in *verſ. 30.* inchoâtam, interrogârat. Quiat, quòd *Iſrael, qui ſectabatur legem iuſtitiæ ad le*

ger

gem justitiæ non pervenerit: in *vers.* isto 32. respondet ipse sibi istis: *Quia non ex fide, sed tanquam ex operibus.*

CCXLVII.

Ubi Israel, hoc est, Judæi dicuntur *sectati legem justitiæ*, eò quòd omne studium huc referrent, ut per legis literam & operum bonorum merita justificarentur coram Deo. Juxta illud *Rom. 10. v. 2. Testimonium illis perhibeo, quòd studium Dei habent, sed non secundum scientiam.* Exemplo erat Paulus, nondum conversus, *Philip. 3. v. 4. 5. & 6.* de se scribens: *Si quisquam alius videtur fiduciam habere in carne, ego magis habeo, circumcisus octavo die, Israelis ex genere, tribus Beniamin, Hebræus ex Hebræis, iuxta Legem Pharisæus, iuxta studium persequens Ecclesiam: Iuxta iustitiam quæ est in Lege, factus irreprehensibilis.* Eodemq; spectant *Parabolæ* de Operariis murmurantibus *Matth. 20. v. 11. 12.* de fratre Prodigi *Luc. 15. v. 28. 29. 30.* & de Pharisæo justificante seipsum. *Luc. 18. v. 9. 10. 11. 12.*

CCXLVIII.

Dicuntur iidem *ad legem justitiæ non pervenisse:* ut qui nec Legis, quam *cap. 7. v. 14. spiritualem* dixerat, reconditum sensum sunt assecuti; *Matth. 5. v. 19. 20. 21. 22.* nec exquisitam illam obedientiam, quam lex efflagitat, & in qua justitia eius consistit, dependerunt; *Act. 13. v. 38,* nec deniq; per illam justificari & salvari potuerunt. *Infirmatur* enim *lex per carnem Rom. 8. v. 3.* ideoque *ex operi-*

bus eius nulla iustificatur caro. Rom. 3. v. 20. Gal. 3. v. 6. Gal. 3. v. 11.

CCXLIX.

Quia verò istud παράδοξον videri poterat, attexitur in responsione τὸ διότι, seu, ut loquitur Paulus τὸ λόγῳ, hoc est, ratio, quamobrem eò pertingere non potuerint: nempe, *quia non ex fide: sed tanquam ex operibus. Vbi quid dixerit*, inquit Augustinus in lib. de spirit. & lit. *apertissimè exponit dicens: Ignorantes enim Dei iustitiam & suam volentes constituere, iustitiæ Dei non sunt subiecti.* Videlicet magna celeritate contendebant ad metam: sed currebant extra viam: ideoque numquam ad illam pertingebant. *Perfectio enim legis est Christus ad salutem omni credenti. Rom. 10. v. 4.* Ideoque qui, fidei tramite omisso, insistebant viam operum, voto frustrabantur suo: Et volentes constituere justitiam suam, justiciæ Dei non sunt subditi. *Ibid. v. 3.*

CCL.

Explicat hæc Augustinus: In serm. 15. de verb. Apost. *Fides Christi est credere in eum, qui iustificat impium, credere in mediatorem, sine quo nullus reconciliatur Deo, credere in salvatorem, qui venit quærere & salvare, quod perierat, credere in eũ, qui dixit, sine me nihil potestis facere. Sed hanc fidem non apprehendit, qui ignorans Dei iustitiam, qua iustificatur impius, suam vult constituere, qua convincatur superbus. Talia enim sentientes sua elatione obdurantur & excœcantur.* Item in Psal. 70. *Glori-*

antes

antes tanquam de operibus excludunt à se gratiam, & tanquam de sanitate sua falsa præsumentes, respuunt medicinam. Contra tales enim & Dominus dixerat: Non veni vocare iustos, sed peccatores in pœnitentiam. Non est opus sanis medicus, sed male habentibus. Hæc est ergo tota scientia magna hominis, scire, quia per se ipse nihil est, & quoniam quicquid est, ex Deo est & per Deum est. Item in lib. quæst. Exo. qu. 63. *De Iudæis hoc dixit* (Ignorantes justitiam, &c.) *qui de se præsumentes gratiam repellebant, & in Christum propterea non credebant. Suam verò iustitiam dicit eos volentes constituere, quæ iustitia est ex lege, non quia lex ab ipsis est constituenda, sed in lege, quæ ex Deo est suam iustitiam constituerant, quando eandem legem suis viribus se implere posse credebant: Ignorantes Dei iustitiam, non qua iustitia Deus iustus est, sed quæ iustitia est homini ex Deo.* Item lib. 17. de civ. Dei: *Carnales Israelitæ, terrenæ Hierusalem cives terrigenæ, qui ut dicit Apostolus, ignorantes Dei iustitiam, id est, quam dat homini Deus, qui solus est iustus atq; iustificans, & suam volentes constituere, id est, velut à se sibi partam, non ab illo impertitam, iustitiæ Dei non sunt subiecti. Vtiq; quia superbi de suo putantes, non de Dei, posse placere se Deo.*

CCLI.

Præcipuè verò illustrat ista Apostolus per *Comparationem Dissimilium*: in qua & *μείωσις* quædam notari potest. Profert enim exemplum admodum dissimile Gentilium: de quibus in antegresso *ver-*

sic. 30. per *communicationem Rhetoricam*, quam ibi auſpicatur, & in ſequente 31. abſolvit, quærit & ſcribit: *Quid igitur dicemus? Quòd gentes, quæ non ſectabantur iuſtitiam, apprehenderunt iuſtitiam, iuſtitiam autem eam, quæ eſt ex fide.*

CCLII.

Ubi gentes negantur ſectatæ eſſe juſtitiã. *Erant* enim Gentiles *ſine Chriſto, abalienati à republ. Iſraelis, & extranei à teſtamentis promiſſionis, ſpem non habẽtes, Deoq; carentes in mundo*; Eph. 2. v. 12. *Ambulabant in vanitate mentis ſuæ, mentem habentes obtenebratam, abalienati à vita Dei: propter ignorantiam, quæ erat in illis, & excœcationem cordis eorum, dediti laſciviæ, ad patrandam immunditiam omnem, cum aviditate.* Eph. 4. v. 18. 19.

CCLIII.

Dicuntur eædem *Iuſtitiam apprehendiſſe.* Juxta illud *Eſa. 6. v. 51. Rom. 10. v. 20. Inventus ſui his, qui me non quærebant: Conſpicuus factus ſum his, qui de me non interrogabant.* Quod ipſum quoq; παράδοξον videri poterat: ſiquidem apprehendere eſt eorum, qui ſectantur, non horum, qui non ſectantur.

CCLIV.

Adjicitur itaque ἐξηγητικῶς, Apprehendiſſe eos juſtitiam, *quæ eſt ex fide:* hoc eſt, quæ Chriſti obedientia parta imputatur iis, qui credunt in nomen eius. In qua ἐξηγήσει, ſicuti è *verſic. 32.* etiam apparet, conſiſtit ratio, quî factum ſit, ut gentes, juſtitiam non ſectantes, juſtitiam apprehenderint:

nempe

nempe, quia non operum, sed fidei justitiam susceperint. Nam suis operibus acquirere eam non poterant: ut pote quæ erant in conspectu Dei prorsus abominabilia. Fidem verò in illis Deus, per auditum Evangelii & Spiritum suum, gratis accendebat. *Rom. 10. v. 17.*

CCLV.

Unde argumentum pro *priori membro* Assumpti evadit tale:

Quicunq; ex operibus legis, non ex fide, justificari & salvari volunt, hi abijciunt Evangelium gratiæ.

Judæi ex operibus legis, non ex fide, justificari volunt.

Ergo Judæi abijciunt Evangelium gratiæ.

CCLVI.

Propositio per se manifesta est. Sunt enim *Opera* & *Gratia* in articulo Justificationis ἀντικείμενα, ut qui ex operibus justificatur, non justificetur per gratiam: Et è contrà. Juxta illud *Rom. 11. v. 6. Quòd si per gratiam, non iam ex operibus: quandoquidem gratia iam non est gratia. Sin ex operibus, iam non est gratia: quandoquidem opus iam non est opus.* Qua de gratia ita meditatur *Augustinus* in Psal. 49. *Judæos*, inquiens, *ita redarguit quidem Apostolus, ut eos diceret ad gratiam non pertinere, qui meritis & operibus suis mercedem deberi arbitrabantur. Qui ergò ad gratiam se sciunt pertinere, quod est Christus, & quod est Christi, nôrunt quia indigent gratia. Si gratia vocatur, gratis datur. Si gratis datur, nulla merita tua præcesserunt. Si præces-*

ſerunt merita tua, merces non imputatur ſecundum gratiam, ſed ſecundum debitum. Si ergo dicis preceſſiſſe merita tua, te vis laudare, non Deum. Ideo non agnoſcis Chriſtum, quia venit cum gratia Dei. Converte ergo te ad merita tua: Vide illa mala fuiſſe, ut non tibi deberetur niſi ſupplicium. Et cum videris, quid tibi per meritum debeatur, agnoſcis quid per gratiam donetur, & ſacrificio laudis glorificas Deum. Ibi enim eſt via, in qua noveris Chriſtum ſalutare Dei, Aſſumptio pendet ex iis, quæ de *verſic. 31. & 32.* modò ſunt dicta.

CCLVII.

Supereſt *poſterius* Aſſumpti *membrum*, *Quòd Judæi Chriſtum, ſalutis ſuæ principem, abiecerint.* Quod è priori membro, juxta ſententiam *Auguſtini*, conſequitur, & continetur in extremis verbis *verſic. 32.* dicente Apoſtolo: *Impegerunt in lapidem offendiculi.* Unde argumentum pro *membro* Aſſumpti poſteriori:

Quicunque in lapidem offendiculi impingunt, ij Chriſtum, ſalutis ſuæ principem, abijciunt.

Judæi in lapidem offendiculi impingunt.

Ergo Judæi Chriſtum, ſalutis ſuæ principem, abijciunt.

CCLVIII.

Propoſitio patet: Quia lapis iſte eſt Chriſtus: Juxta illud *Simeonis* ad Mariam *Luc. 2. v. 34.* dicentis: *Ecce poſitus eſt hic in ruinam, & in reſurrectionem multorum in Iſrael, & in ſignum, cui contradicitur.* *Aſſumptionem* docebat experientia.

Juxta

Juxta illa: *Actor. 4. v. 11. Hic est lapis ille, qui reiectus est à vobis ædificantibus, qui factus est in caput anguli.* Joh. 1. v. 11. *In sua venit, & sui eum non receperant.* 1. Cor. 1. v. 23. *Nos prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem offendiculum, Græcis verò stultitiam.*

CCLIX.

Unde *Augustinus* in lib. de spir. & lit. *Gentes, quæ non sectabantur iustitiam, apprehenderunt iustitiam. Iustitiam autem, quæ ex fide est, impetrando eam ex Deo, non ex ipsis præsumendo. Israel verò persequens legem iustitiæ, in legem iustitiæ non pervenit. Quare? Quia non ex fide, sed quasi ex operibus, id est, tanquam eam per semetipsos operantes, non in se credentes operari Deum. Deus est enim, qui operatur in vobis & velle & operari pro bona voluntate. Ac per hoc offenderunt in lapidem offensionis.* Item in serm. in Epist. Joh. 3. *Christus sperabatur venturus à populo Iudæorum, & quia humilis venit, non est agnitus. Quia lapis parvus erat, offenderunt in illum & fracti sunt. Et crevit lapis & factus est mons magnus. Et quid ait scriptura? Quicunq; offenderit in lapidem istum, conquassabitur, & super quem venerit lapis iste, conteret eum. Discernenda sunt verba. Offendentem dixit conquassari, super quem autem venerit, conteri. Primo quia humilis, offenderunt in illum homines: quia excelsus venturus est ad judicium, super quem venerit, conteret eum. Sed illum non conteret venturus, quem non quassavit cum venit. Qui in humilem non of-*

fendit, non formidabit excelsum. Omnibus enim malus lapis offensionis est Christus. Item in tract. Psal. 30. *Est justicia Dei, quæ & nostra fit, cum donatur nobis. Ideo autem justitia Dei dicitur, ne homo se putet à se ipso habere justitiam. Sic enim dicit Apostolus Paulus: Credenti in eum, qui justificat impium. Quid est, qui justificat impium? Qui ex impio facit justum: Deputatur fides ejus ad justitiam. Iudæi verò, qui suis viribus se putabant implere posse justitiam, offenderunt in lapidem offensionis, & gratiam Christi non agnoverunt. Acceperunt enim legem, qua fierent rei, non qua liberarentur à reatu.*

CCLX.

Cæterùm quia Judæis mirum, adeoque absurdum, videri poterat, se impingere potuisse in Christum: Juxta illa: *Matth. 21. v. 42. Nunquam legistis in Scripturis, Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli? A Domino factum est hoc, & est mirabile in oculis nostris:* & Actor. 13. v. 40. 41. *Videte ergo, ne superveniat vobis, quod dictum est in Prophetis, Videte contemptores, & admiramini, & evanescite, quia opus operor ego in diebus vestris, opus quod non credetis, si quis enarraverit vobis:* Apostolus id firmat Veteris Scripturæ testimonio, & ostendit, nihil hîc accidisse, quod ita eventurum esse, Deus non solùm viderit, sed etiam per Prophetam suum antè denunciârit. Itaque in *versic.* capitis hujus ultimo: *Quemadmodum*, inquit, *scriptum est: Ecce ego pono in Sion lapidem offendiculi & petram offensionis.*

Quo-

CCLXI.

Quorum verborum pars anterior extat apud Esaiam *cap. 28.* ubi Dominus *versic. 16.* pronunciat: *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem.* Quod de Christo dictum esse, agnoscit quoque Paraphrasis Chaldaica, quæ ita habet: *Ecce ego constituam in Sion regem, regem fortem & potentem: corroborabo eum & confortabo eum.* Pars reliqua desumpta est è *cap. 8.* ubi Propheta *versic. 12. 13. 14.* ait: *Dominum exercituum sanctificate: ipse pavor vester, & ipse terror vester. Et erit vobis in sanctificationem, in lapidem autem offensionis, & in petram scandali duabus domibus Israel, in laqueum & ruinam habitantibus Ierusalem. Et offendent ex eis plurimi, & cadent, & conterentur, & irretientur & capientur.* Quæ verba, juxta LXX. Interpr. paulò aliter sonant: *Dominum virtutum ipsum sanctificate, & ipse erit tuus timor: Et si in ipso confisus fueris, erit tibi in sanctificationem, & non ut lapidis offensioni occurretis, neq; ut petræ ruinæ: at domus Iacob in laqueo & in convalle sedentes in Hierusalem. Propter hoc impotentes erunt in ijs multi, & ruent, & conterentur, & appropinquabunt, & capientur homines in securitate existentes.*

CCLXII.

Mirabilius autem videri poterat, CHRISTUM nuncupari *Lapidem offensionis & Petram scandali*, quem salutis prrncipem & cornu futurum esse, tot tantæque pollicitationes Dei testabantur. Inde enim argumentari poterant:

Si Christus Judæis futurus erat lapis offensionis & petra scandali, non poterunt Judæi accusari, quòd in eum non crediderint, aut quòd repudiârint.

Verum est prius.

Verum igitur posterius.

CCLXIII.

Huic objectioni ut occurrat Apostolus, subjungit in eodem *versic. 33.* extrema hæc verba: *Et omnis, qui credit in eo, non confundetur.* Ubi Apostolus iursu'n loquitur juxta interpretationem LXX. *Interpret.* apud quos verba Domini apud *Esaiam cap. 28. v. 16.* ita sonant: Ἰδὲ ἐγὼ ἐμβαλῶ εἰς τὰ θεμέλια σίων λίθον πολυτελῆ ἐκλεκτὸν ἀκρογωνιαῖον, ἔντιμον εἰς τὰ θεμέλια αὐτῆς. καὶ ὁ πιστεύων ἐπ' αὐτῷ οὐ μὴ καταισχυνθῇ. Idest. *Ecce ego immittam in fundamenta Sion lapidem preciosum, electum, angularem, preciosum in fundamenta eius: Et credens in eo non confundetur.* Vulgata versio paulò aliter: *Ecce ego mittam in fundamentis Sion lapidem, lapidem probatum, angularem, preciosum, in fundamento fundatũ; qui crediderit, non festinet.*

CCLXIV.

Iis docet Apostolus, quis, aut qualis Lapis Christus per se & sua naturâ futurus fuerit: nempe, non lapis offensionis, aut petra scandali, sed lapis erectionis & petra salutis: committi verò in *connexo Objectionis* commemoratæ errorem παρ' ἑπόμενον, ob vitium *Antecedentis*, in quo sit error κατὰ τὸ συμβεβηκός.

CCLXV.

Proind•

Proinde distinguendum hîc esse videmus inter id, *quod Christus è Consilio antecedentis voluntatis Dei, atq; ita primò & per se futurus fuerit*: & inter illud, *quod idem per eventum, secundariò, consequenter, & per accidens futurus fuerit.*

CCLXVI.

Consilium antecedentis voluntatis Dei non erat, ut Judæi in Christum impingerent, aut quòd ipse noluerit illis elargiri fidem. Contrarium enim testificatus est & *verbo: Matth. 22. v. 4.* & *juramento: Ezech. 33. v. 11. Ezech. 18. v. 32.* & *voto: Luc. 19. vs 42.* & *facto: Mar. 23. v. 37.* & *gestu: Proverb. 1. v. 24. Rom. 10. v. 21.* & *lachrymis Luc. 19. v. 41. 42.* Et in summa: *Habitatores Jerusalem*, inquit *Esa. 5. v. 3. 4.* & *viri Juda, judicate inter me & vineam meam. Quid est, quod debui ultrà facere vineæ meæ, & non feci ei? An quòd expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas?* Hoc igitur primò, per se & ante omnia volebat, ut ipsis Christus esset petra salutis: ut *omnes crederent Joh. 1. v. 7.* in eum, quem *missurus erat in mundum, non ut condemnaretur mundus, sed ut mundus servaretur per eum.* Joh. 3. v. 17.

CCLXVII.

Quia verò plærique aspernaturi erant consilium illud Dei adversus seipsos. *Luc. 7. v. 30.* jam per eventum, consequenter, & per accidens, istud futurum erat, ut Christus, qui debuerat esse petra salutis, evaderet ingratis contemptoribus gratiæ, ipsorummet vitio & culpa, petra scandali & lapis

offen-

offensionis. *Sunt rectæ viæ Domini, & justi ambulabunt in eis, prævaricatores verò impingent in eis. Ose. 14. v. ult.* Ex quo Paraphrasis Chaldaica allegatum dictum *Esaiæ cap. 8. v. 14.* ita exponit: *Si nõ obedieritis, erit verbum eius vobis in ultionem: & in lapidem percutientem, & in petram scandali duabus domibus principum Israel, & in interitum & in scandalum his, qui divisi sunt de domo Iuda & habitantibus in Hierusalem. Et offendent in eis multi & cadent, & conterentur & destruentur & capientur.*

CCLXVIII.

Præcipuè vero huius loci sunt illa *Petri*, docentis *1. Epist. 2. v. 4. 5. 6. 7. 8.* quo pacto Lapis ille, ab hominibus reprobatus, Christianis sit pretiosus. *Accedentes*, inquit, *ad eum, qui Lapis est vivus, ab hominibus quidem reprobatus, apud Deum verò electus ac pretiosus, Ipsi quoq; veluti vivi lapides, ædificemini domus spiritualis, sacerdotium sanctum, ad offerendum spirituales hostias, acceptabiles Deo per Iesum Christum. Quapropter & continet Scriptura, Ecce pono in Sion lapidem, in summo ponendum angulo, electum, pretiosum: & qui crediderit in illo, non pudefiet. Vobis igitur pretiosus est, qui creditis: cæterùm ijs, qui non credunt, lapis, quem reprobaverunt ædificantes, hic cœpit esse caput anguli. Et lapis, in quem impingitur, & petra, ad quam offendunt, nempe ijs, qui impingunt in sermonem, neque credunt in id, ad quod & instituti fuerant.*

CCLXIX.

Atque

Atque hæc de Analyſi Capitis noni Epiſtolæ ad Romanos, prout dedit Deus benedictus in ſecula, dicta ſint. Quorum ἀναχεφαλαίωσις, ut rem veluti faſciculo complectamur, hæc eſt:

Etſi DEVS *Iudæos per ampliſſimas promiſſiones & prærogativas adoptârit, illas tamen non obſtare, quò minus nunc eos à gratia, quam reſpuerint, poſſit abjicere: Promiſſiones enim* DEI *pertinere ad filios promiſſionis, qui ſint credentes quicunq;: eundem verò prærogativas ſuas ita elargiri, ut ſibi interim liberam & abſolutam poteſtatem gratiæ ſuæ retineat: Et ſi quid promiſerit Iudæis, id compleri in reliquijs electorum: non autem in plærisq;, qui ſint ἄπιστοι & immorigeri; in quibus promiſſio expiret; quandoquidem nihil abſolutè promiſerit, ſed cum conditione fidei & obedientiæ.*

Chriſte, qui vitæ liber es beatæ,
Quam, tuo partam roſeo cruore,
Reddis electis, tibi laus, honorque
Omne per ævum.

Pſal. 126. v. 5.

Qui ſeminant in lachrymis, in exultatione metent.

Adonicum Carmen,

AD REVERENDUM, PIETATE ET ERUDITIONE CONSPICUA CULTISSIMUM VIRUM, DOMINUM VALENTINUM BARGERUM, Ecclesiæ SWEBHEMENSIS, in Ditione Nobb. Dominorum à BIBRA, &c. Pastorem vigilantiss. Respondentem: amicum, fratrem & sympatriotam suum longè dilectiss.

VALENTINUS BARGER.

Κατ' ἀναγεφμιαλισμὸν:

EN, REGIT UNUS LABRA!

EN REGIT UNUS
LABRA! JEHOVAH
Trinus & Unus:
Luxine Numen,
Nomine Lumen
Ter Venerandum,
Rebus in almis.
Lemmata clari
Annè SCHRÖDERI,
In quibus extat
Vera salutis
Meta tenendæ;
Te, sine sacro
Numine, fidis,
Mysta colendo,
Posse tueri?
Haud tibi tantum
Sumere tentas.
Summus JOVA
ENREGIT UNUS
Pectora, LABRA!
Trinus & Unus.
Ille Patronos
Gentis ávitæ
Quippe BIBRANÆ:
Ille SCHRÖDERUM
Ore disertum,
Oro, Magistrum

Laude

Laude cluentem: | *Spesq; fideq;*
Teq; clientem | *Rite* VALENTES:
Protegat, oro: | *Gaudia cœli*
Protegat omnes | *Suppeditetq;*

Anno Domini ἀνθρώπε:

rectæ Viæ DoMInI. *Oseæ 14. v. 9.*

Subjicieb. Ioh. Kerfelt, Eccleſiæ Swinfurtenſ. Patria Collega.

Errata ſic corrige:

Theſ. 5. linea 9. pro Dantaturos, lege, Decantaturos. t. 15. l. 3. pro 8. lege 11. t. 16. l. 6. dele autem. 63. 5. ad. 66. 4. gratia 75. 20. fecit. 127. 11. at. 159. 4. illius. 203. 10. fruſtra. ibid. l. 21. fines. 216. 5. eoq;

Bayerische Staatsbibliothek MÜNCHEN

BSB Bayerische StaatsBibliothek

MDZ Münchener DigitalisierungsZentrum Digitale Bibliothek

Schröder, Johann

Analysis theologica et scholastica in caput nonum epistolae D. Pauli ad Romanos

Swinfurtum 1608

Th.u. 470 w#Beibd.2
urn:nbn:de:bvb:12-bsb10786633-4